FOEDERIS BOEOTICI INSTITUTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXII

H. XII

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

PAULUS LIMAN

POSNANUS.

ADVESSARII ERUNT

P. MEINHOLD, CAND. HIST.

E. VOELKER, STUD. PHIL.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS IULII ABEL.

GUILELMO LIMAN PATRI

ALBERTO ROESTEL AVUNCULO

PIETATIS ERGO.

Adhibui in dissertatione mea conficienda titulorum Boeoticorum imprimis editiones has:

Corpus Inscriptionum Graecarum ed. Boeckh = C. J. G.

Keil. Sylloge inscr. Boeot. = Syll.

Keil zur Sylloge inscr. Boeot. = K. z. S.

Rangabé, Antiquités Helléniques = Rang.

Décharme, recueil d'inscriptions inéd. = Dech.

Bulletin de correspondence hell. = Bull.

Mittheilungen des archaeol. Instituts zu Athen = Mitth.

Ἐφημερὶς Ἀρχαιολογική = *Ἐφ. ἀρχ.*

Ἀθήναιον = *Ἀθὴν.*

Praeterea singulis locis, quas adhibui monographias, addidi. Meisteri syllogen (Bezzenbergers Beiträge zur Kunde der indogermanischen Sprachen) propterea non secutus sum, quod apographum reddit minusculis litteris. Ipse quoque titulos iam collegeram et opusculum meum aliquatenus ante confeceram, quam eius cognoscerem studia. Gaudeo autem quam maxime, quod cum viro illo doctissimo in titulorum tempore statuendo persaepe sententia mea convenit.

Institutorum Boeoticorum vestigia cum in rerum scriptorum libris fuerint rariora, quam quae cum aliqua probabilitatis specie viri docti persequi possent, certa Boeoticarum rerum imago instaurari non potuit, donec egregiorum virorum studiis ipsa priorum temporum monumenta invidiosae terrae eriperentur. Sed ne tituli quidem, cum fere omnes post Alexandri Magni mortem sint confecti, nos, qualis antiquioribus temporibus fuerit foederis status, possunt docere; itaque, ne disputationis nostrae fundamenta omnino in aqua posita esse videantur, tantum de foedere post Thebas restitutas confecto agere licebit, qua in re tractanda non modo lapidum — id quod voluit Preussius[1]) — sed etiam auctorum adhiberi rationem necesse mihi videtur. E re autem videtur esse, hoc loco normam afferre, quam ad titulos statuendos adhibuerim, cum ipsam alio loco sim confirmaturus: In sermonem Boeoticum quae singularum litterarum mutationes irrepserunt, sic distribuo:

I. *οι* non mutatur in tit. annorum 370—220.

a. *υ* non mutatur (in tit. anteced.).

---

[1]) Quaestiones Boeoticas scripsit. Lips. 1879.

b. *υ* et *ου* usurpantur in eodem tit. 367—310. (*η* pro *αι* ca. 350 introducitur).

c. *ου* tantum usurpatur inde ab anno 310 - 220. Eodem tempore quo *υ* et *ου* promiscue ad hibentur, etiam patronymica adiectivis possessivis exprimuntur, qui usus inde ab anno 300 multo fit rarior.

II. *υ* pro *οι* inde ab anno 220—146.

a. 220—200 *υ* et *οι* promiscue scribuntur.

b. 200—146 *υ* tantum adhibetur.[1a.])

De foedere Boeotico.

Epaminondae et Pelopidae virtutibus cum foedus Boeotorum tantum assecutum esset florem tantamque inter omnes civitates auctoritatem, ut Byzantii[2]) ipsi iis se adiungerent, et Carthaginienses bello Syracusano oppressi legatos auxilium petituros mitterent ad Boeotos,[3]) tamen

---

[1a.]) Cf. Meister. Ann. phil. 1879 p. 515 Larf. de dial Boeot. mut. p. 36.) Hanc partitionem non ad annum quadrare elucet; itaque saepius vetustiores formae in tit. recentioris aetatis recurrunt, ut in nonnullis titulis Hyettiis eiusdem temporis modo *Βοιωτῦς* modo *Βοιωτοῖς* legitur. (Bull. II, 493).

[2]) cf. tit. a Cumanude *Ἀθήν.* III p. 479 sq. editum. Eodem spectant Isocr. Phil. p. 93. Demosth. Phil. III, 34. *οὐχὶ Θηβαίων Ἐχῖνον ἀφῄρηται καὶ νῦν ἐπὶ Βυζαντίους πορεύεται συμμάχους ὄντας* (sc. *αὐτῶν*);

[3]) Quae res cum neque scriptorum testimoniis neque lapidibus diserte tradita sit, exponendum iam erit, unde iudicium meum effluxerit: sumpsi mihi sententiam illam e C. J. G. 1565, quo Nobas aliquis Carthaginiensis proxenia donatur. De quo titulo priusquam meam exponam sententiam, de ratione Larfeldi, qui nuper de illo scripsit (de dial. Boeot. mut. p. 12) aliquid memorabo. Is enim sententiam a Boeckhio prolatam: „Arbitror autem illum Nobam a Carthaginiensibus in Graeciam missum legatum esse, ut de communibus adversus Romanos consiliis ageret" — firmare studet Livii testimonio haec narrantis (41, 22): „Legati (scil. a Romanis Carthaginem et ad Masinissam

fieri non potuit, quin foedus illud Phocico bello magnopere comminutum a Philippo et Alexandro omni auctoritate privaretur. Ac certe post Thebas anni 335 autumno deletas quamquam forma foederis mutata est, tamen ipsum foedus remansit, cui omnes Boeotorum urbes

---

missi) nonis Iuniis ex Africa redierunt... compertum tamen affirmaverunt, legatos ab rege Perseo venisse iisque noctu senatum in aede Aesculapi datum esse. Ab Carthagine legatos in Macedoniam missos et rex (sc. Masinissa) affirmaverat et ipsi parum constanter negaverant.“ Inde igitur, quod anno 174 necessitudo aliqua exstabat inter Perseum et Carthaginienses titulum nostrum eiusdem temporis esse vir doctus vult. Mihi haec argumentatio prava videtur esse. rimum enim num recte Livius res Carthaginiensium tradiderit, dubitare licet (cf. Nisseni quem ipse attulit locum p. 241), tum saepissime a Carthaginiensibus legatos ad Graecos missos esse constat, imprimis Hannibalis aetate. Cur igitur non de hoc aliove tempore potest cogitari? An propterea, quod Hippiae nomen hic recurrit, qui idem praetor fuit Boeotorum Persei aetate? Hac re nihil firmatur, nam praeterquam quod nomen illud in lapide est mutilatum, idem nomen saepius apud Boeotos usitatum docemur. cf. Le Bas 5 Mitth. III pg. 93. Mihi quidem e dialecto statuendum esse videtur de tempore huius tituli, non e tempore de dialecto. Itaque ad longe diversum annum titulum nostrum refero sic argumentatus. Inde, quod magno illo proxeniae honore Nobas afficitur, sequitur Nobam de Boeotis optime fuisse meritum, fortasse legatum civitatis Carthaginiensium esse intelligendum. Pro certo hoc poterimus statuere, si ostendere contigerit, titulum illum cadere in annum, quo Carthaginienses maxime oppressi auxilium petebant a Boeotis. Quod ut assequamur, de dialecto tituli agendum erit. Conferamus igitur titulum e Phocico bello servatum (Ἀϑήν III p. 479) cum nostro lapide. Atque in Nobae titulo ubique scripturam *αι* pro *η* servari videbimus, cum in altero *η* in vocabulo *Ἀλυζήων* usurpetur, praeterea in vocabulo *ἔπασις* non iam geminatio posteriorum temporum adhibetur (cf. e. g. Keil, syll. p. 176 VI. a *Πύρω* pro *Πύῤῥω* al.); apparet igitur Nobae titulum et esse antiquissimum et antiquiorem inscriptione illa Phocici belli. Neque impedit, quod *ου* pro *υ* in nostro titulo (in voc. *ἀσουλίαν*) exstat, cum eam scripturam ante Alexandri tempora in dialectum Boeoticam irrepsisse tit. ille Orchomenius doceat, quem circa annum 330 scriptum esse Foucartus sagaciter perspexit. (cf, bull. III p. 453. *Πουῤῥίνιος*, *Σιμούνιος*, *Φαούλλιος* —

exceptis Thebanis intererant.[4]) Foederis Boeotici milites etiam expeditionibus Alexandri Magni interfuisse titulus

---

Διωνύσιος, Ὀλυμπίχιος). Ad idem autem tempus alia quoque ratiocinatione deducimur. Continet enim titulus decretum, quo totum foedus homini cuidam proxeniam tribuit; nullum praeterea eiusmodi testimonium exstat nisi tit. a Lollingio (Mitth. III. p. 93) editus, quem sagaciter ille secundum nostrum titulum supplevit. Hic quoque tit. cum propter dialecti rationem eidem tempori sit assignandus, (cf. quae infra afferemus) iam non potest esse incertum universo foederi non semper licuisse peregrinos homines proxenia donare; ergo cum foederis forma Alexandri aetate plane sit mutata, ante hoc tempus illud ius exstitisse meo iure videor concludere, periisse postea. (Proxenos enim Tanagraeorum non eosdem fuisse Orchomeniorum aut omnino foederis, apparet e tit. Bull. IV, 97 et Herm. 1876 p. 98, secundum quos eidem Sosibio a duabus urbibus proxenia donatur.)

Ad certum autem deducimur annum Carthaginiensium res contemplati; non enim defuit, cur illi ad Boeotos, qui plurimum inter Graecos tum valerent, se verterent. Nonne duos annos ante pugnam Leuctricam Dionysius Lacedaemoniis cum iis bellum gerentibus exercitum Suxilio miserat? (cf. Diod. 15,73). Anno autem Ol. 103,1 novum imminebat inter Syracusanos bellum atque Carthaginienses, cum hi et pestilentiis et Libyorum seditionibus quam maxime essent debilitati. Iam ad illud argumentum recurro, de quo modo dixi: Foedus Boeotorum illa aetate cum Thebani praepollerent, ita fuit constitutum, ut reliquae urbes, quae quidem foederi se alligassent, tamquam sub eorum essent dicione, itaque proxeni Thebanorum essent etiam proxeni Boeotorum. Quae argumenta si animo repeto, non iam dubito ad annum 368 titulum nostrum (C. I. G. 1565) referre. Neque enim impedit, quod neque Pelopidas neque Epaminondas commemorantur, cum hic eo anno fuerit homo privatus (Diod. 15, 71 Ἐπ. ἰδιωτεύων κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον) ille ab Alexandro Pheraeo in vincula esset coniectus (ibid).

[4]) Certum testimonium quamvis non exstet, tamen de foedere inde debet cogitari, quod Boeoti omnes post illum annum coniunctim agebant: Diod. XVIII, 11; Paus. I, 25, 4 Hyperid. Epit. o. b. τοὺς πρώτους ἀντιταξαμένους τῇ τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίᾳ Βοιωτοὺς καὶ Μακεδόνας etc.). Plut. Phoc 25 al. Huc etiam referendus locus Pausaniae, qui IX, 3, 4 tradit Thebanos post urbem reconditam aeque ac ceteras urbes communem cum aliis conventum iterum frequentasse in parvis Daedalis, unde apparet inde ab anno 335 usque ad 316 commune quoddam exstitisse Boeotorum.

Orchomenius nuper a Foucarto editus carmenque illud Thespiense quod ipse affert, nos certiores faciunt.[5]) Mutatum deinde foedus est Thebis adiectis; quod quando factum sit quamquam non traditur, tamen quae possunt statui, hoc loco exponenda videntur. Neque enim anno 316 Thebanos statim foederi ascitos esse Diodori[6]) docent haec: *αὐτὸς δὲ* (sc. *Κάσσανδρος*) *μετὰ πάσης τῆς δυνάμεως ἀναζεύξας Ὠρωπὸν μὲν κατὰ κράτος εἷλε, Θηβαίους δ' εἰς τὴν αὑτοῦ συμμαχίαν κατέστησε· πρὸς δὲ τοὺς ἄλλους Βοιωτοὺς ἀνοχὰς ποιησάμενος . . . . ἀπῆλθεν εἰς Μακεδονίαν*, unde perspicitur non iam foederi interfuisse Thebanos anno 313. Proximo demum anno, cum Ptolemaeus Cassandri milites Cadmea expulisset, Thebani foederi se adiunxerunt.

Perduravisse autem commune Boeotorum usque ad Corinthi excidium, non ut e Polybio potuit concludi, ad annum 171, primus Mommsenus e Pausania intellexit.[7])

Iam ad singula foederis instituta exponenda nos vertamus. Ac nos quidem, cum omnes urbes communes haberent magistratus, singulae suos, ita progrediemur, ut primum de foedere universo tum de singularum urbium muneribus agamus.[8])

I. De foederis universi magistratibus.

A. Archontes foederis.

Foederi Boeotico omnibus temporibus praefuit *ἄρχων*,

---

[5]) Bull. III, 456.

[6]) 19, 77. Hanc Cassandri expeditionem cadere in annum 313, non in proximum annum Droysenus (hist. hell. II, 2, 34) ostendit.

[7]) Hist. Rom. I. p. 582.

[8]) Quae urbes foederis fuerint participes, aptius poterit exponi, ubi de boeotarchis quaestio erit.

cuius officia cum non eadem fuerint semper, primum quibus semper usus sit quaerere aptum videtur. *Ἄρχων* ex unaquaque urbe quae quidem sui esset iuris, potuit creari, cum Epaminondae aetate Thebis eum ortum fuisse verisimile sit. Atque certus quidam modus inter singulas urbes sine dubio exstabat, quo ordo archontum statueretur, ita quidem, ut boeotarcharum creandorum in archontibus deligendis ratio nulla haberetur. Archontes enim non suam, ut boeotarchae, repraesentabant urbem, sed totius foederis rebus tantum consulebant. Quod inde nostro iure colligimus, quod in eodem lapide (Keil syll. X. p. 69) praeter Saonem boeotarcham a Thespiensibus missum etiam archontem Thespiensem invenimus; n que potuit fieri, ut duo homines eandem repraesentarent urbem. Itaque archon, ut summo fungebatur munere, ita omni tempore fuit *ἐπώνυμος* omniaque documenta publica eius tulerunt nomen, cum in iis, quae ad singulas spectant civitates, urbani archontis nomen adderetur. Formula autem, qua utebantur Boeoti, huius fuit similis: *Φαείνω ἄρχοντος τῷ πεμπτῷ μεινὸς Πανάμω.*[9])

Catalogis quoque militum, cum rei militari non singulae urbes, sed universum foedus consuleret, nomen archontis communis praescribebatur, qui vel tum est intelligendus, cum formula tantum *τοῦ δεῖνα ἄρχοντος* adhibetur. Cuius sententiae testimonium praebent tituli duo

---

9) *Ἀθήν* VII. p. 286,6. al. Contra in inscript. proxima formula haec recurrit: *ἐπὶ Μαχάνω ἄρχοντος.* Quodsi archon etiam urbanus additur, haec adhibetur scribendi ratio: *ἐπὶ πόλιος δὲ* . . . Mutatum est *Ἀθήν.* IV. p. 215 *ἐπὶ δὲ πόλιος.* In designandis archontibus praeterea ea utebantur ratione, ut aut nihil adderent Boeoti, nisi archontis nomen, aut et patris et patriae (cf. Preussii quaest. Boeot. p. 4).

Hyetti et Copis inventi, qui alter a verbis ***Καφισίαο ἄρχοντος***, alter a verbis ***Καφισίαο ἄρχοντος Βοιωτῦς*** incipit.[10]) Itaque summa penes archontes fuit foederis potestas, cuius potestatis signum sacra illa hasta fuit, quam nunquam, dum munere fungerentur, deponere eis licebat.[11])

Foederis tantum universi rebus archontes praefuisse contendi; at duae inscriptiones Oropiae discrepare videntur, quibus foederis *ἄρχων*, non urbanus praescribitur.[12]) Pluribus igitur de his dicamus. Alterius tituli summa cum rem sacram universi foederis contineat, causam hinc fortasse quispiam repetierit. Sed cum uterque titulus eodem tempore sit exaratus, eodem Stratone archonte, eodem Epicrate pontifice, probabilior de utroque facienda erit coniectura, quoniam alter titulus rem urbanam continet. Ac mihi quidem causa controversiae non videtur latere: Foederis archon praescriptus est, quod Oropus tum non iam habuit *αὐτονομίαν*, itaque foederis tamquam erat propria. Quod quando fieri potuerit, reputemus: E nomine Balacro quidem tituli tempus Macedonicum fuisse efficitur, quo homo Macedo iure civium Atheniensium iam potuit esse praeditus.[13]) Constat autem Oropiis a Polysperchonte *αὐτονομίαν* esse datam, deinde autem urbem, quam Cassander expugnaverat, Boeotis esse traditam. Itaque huius temporis habemus vestigia.[14]) Accedit quod in tit. C. I. G. 1593. Pytho quidam Oropius boeotarcha,

---

10) Ἀθήν. 1, 501,3 ibid. p. 492,5. Tituli sunt eiusdem aetatis.

11) Plut. Pelop. 10, 11 de gen. Socr. 31. p. 597.

12) cf. Prellerum Ber. der Kgl. Sächs. Gesellschaft der Wissensch. 1852 p. 160 et C. J. G. 1570.

13) cf. Polyb. 22, 8, 5; 29, 4, 6 (ed. Hultsch). Diod. 18, 22. al.

14) Quod Mithridates quidam memoratur, titulum non temporis postmithridatici esse debere Prellerus ostendit l. l. cf. Herod 1,110.

Calligitonis filius memoratur, in titulo nostri coaevo (Prell. l. l. 2.) Calligiton Pythonis filius; itaque cum C. I. G. 1593. inter primordia foederis novi sit referendus (v. i.), titulorum Oropiorum tempus idem esse debet. Quodsi urbis alicuius rebus ἄρχων praeest communis, quae non esset sui iuris, hoc nihil pugnat contra sententiam nostram, illum tantum foederis res administrasse.

Quaerendum iam videtur, quam diu munere suo functi sint archontes, qua de re si certi aliquid invenerimus, simul de ceteris magistratibus quaestio erit soluta. E Diodoro[15]) aliisque rerum scriptoribus comperimus Pelopidam per complures annos fuisse boeotarcham; sed denuo unoquoque anno eum esse creatum inde elucet, quod Epaminondas auctore Meneclida reus esse factus traditur, quod annuum terminum ei magistratui per leges statutum excesserat. Annui igitur ea aetate magistratus fuerunt, quamquam nihil obstabat, quominus idem saepius eodem munere fungeretur. Sed cum hoc argumentum ex Epaminondae tempore sumptum non sufficiat, aliud quaeramus testimonium necesse est. Conferamus iam hosce, qui sequuntur titulos:

1) *Θιός. Φίλωνος ἄρχοντος Βοιωτῦς*
ἐπὶ πόλιος δὲ Θρασουλάω
πολεμαρχιόντων Δαμοξένω Προππίδαο
Καλονίκω Κλισθείνιος
Πολιουχάριος Δαμοχαρίδαο
γραμματίδδοντος Προππίδαο Δαμοξένω
τνὶ κ. τ. λ.

---

[15]) 15, 81. Paus. 9, 14, 5.

2) *Θιός· Φίλωνος ἄρχοντος Βοιωτῦς*
ἐπὶ πόλιος δὲ Εἰμείλω
πολεμαρχιόντων
Ϝαναξάνδρω Διωνιουσοδώρω
Δαμαγάθω Μνασίππω
Ἰσμεινίαο Ἰσμεινίαο
γραμματίδδοντος
Πουθοδώρω Ἑρμαιώνδαο
τνὶ κ. τ. λ.

3) *Ἀρ[ίστωνος]*[16]) *ἄρχοντος Βοιωτῦς ἐπὶ πόλιος δὲ . . .*
πολεμαρχιόντων
Καλονίκω Κλισθείνιος
Προππίδαο Δαμοξένω
Εὐμείλω Δάσωνος
γραμματίδδοντος Θαυμινίαο Ὀφελτιορίδαο
τνὶ κ. τ. λ.

Conferamus praeterea tit. hosce:

4) *Θιός· Δαματρίω ἄρχοντος Βοιωτοῖς, ἐπὶ πόλιος*
δὲ Προππίδαο
πολεμαρχιόντων Δάμωνος κ. τ. λ

5) *Θιός. Δαματρίω ἄρχοντος Βοιωτοῖς ἐπὶ πόλιος*
δὲ Νικασίωνος
πολεμαρχιόντων Πουθογένιος κ. τ. λ.[17])

Quae inscriptiones in eadem urbe (Hyetti) inventas si examinamus et Philonem et Demetrium binis annis fuisse archontes concludere licet, cum non

---

[16]) Aristonem quendam archontem reperimus in inscr. Hyett. *Ἀθήν* I, p. 490, 3, ubi archon urbanus *Ἀνδρήμων* videtur intelligendus (in apographo leg. *ΑΝΔΗΝΩΝΟΣ*.)

[17]) Bull. II. pag. 493,1 sq.

iam iidem commemorentur polemarchi. Praeterea eundem polemarchum saepius potuisse creari luculentum mihi videtur, cum Proppidas et Calonicus in tit. 1 et 3. diversis archontibus recurrant polemarchi; simul autem annuum fuisse hunc magistratum e tit. 1. et 2. apparet, idemque secundum tit. 4. et 5. de archontibus urbanis contendo. Quamquam obvertat mihi quispiam posse colligi his titulis collatis aut semestre fuisse polemarchorum munus — eodem enim anno Damoxenum et Anaxandrum archonte Philone fuisse polemarchos — aut diversis diebus singulos magistratus creari esse solitos. Sed haec facile refelluntur. In eodem enim lapide se excipiunt tituli Philone, Hipparcho, Philone, Ar(istone) archontibus exarati. Philo igitur duobus annis fuit archon ita ut inter priorem, quo munere fungeretur, annum et posteriorem Hipparchus esset archon. Sequitur iam alteram obiectionem minime constare posse: Diversis annis Philo foederis fuit archon, diversis etiam annis polemarchi fuerant Dam. et Anax. Accedit quod de archontibus urbanis certissima exstant testimonia: C. J. G. 1569 a III, 40: *ὁ ἐνιαυτὸς ὁ μετὰ Θύναρχον ἄρχοντα Ἐρχομενίυς* Rang. 1005 *εἰς τὸν ἐπὶ Νίκωνος ἄρχοντος ἐνιαυτόν* unde sententia nostra confirmatur de foederis archontibus. Neque etiam probabile mihi videtur diversis diebus singulos magistratus creatos esse, cum post tres demum annos iidem polemarchi iterum essent creati; idem de ipsis polemarchis inde quoque haurimus, quod in tit. a Keilio (S. XXXIII) edito haec exstant verba *τοὺς πολεμάρχους τοὺς ἐπὶ Καφισοτίμου ἄρχοντος* et in Nicaretae tit. v. 102 *τοὶ πολέμαρχοι τοὶ ἐπὶ Πολυκράτιος ἄρχοντος* quod certe

non potuerat scribi, si initio anni eiusdem archontis alii, alii fine fuissent polemarchi.

Quod si nunc quaerimus, quae fuerint archontum officia seiungenda erunt officia pacis et belli.

In pace quidem archontem praefuisse boeotarcharum collegio quamquam non habemus certum testimonium, tamen inde concludimus, quod omnibus titulis, quicunque boeotarcharum numerum continent, nomen eius praescribitur. Ita archon si de proxenia ab universo foedere donanda agitur (cf. adn. 3) advocatur idemque donum Apollini donandum curat (Bull. I, 208 al.).

Alio autem modo res militares se habere ut nobis persuadeamus, ad scriptores necesse erit refugere; videbimus autem tum, usque ad medium saeculum tertium archontes rebus abstinuisse bellicis, ab illo autem tempore magistratum ita esse commutatum, ut archon summus sit imperator aeque ac praetores Achaeorum vel Aetolorum, neque alienum videtur a vero, archontis munus mutatum esse secundum illorum instituta.

In hac autem quaestione difficillima tractanda ita progrediendum erit, ut primum ostendamus, qualis prioribus temporibus archontis potestas fuisse censenda sit, deinde quando quibusque de causis aucta sit qualisque fuerit post medium saeculum tertium.

Cum Pelopidas et Epaminondas summi Boeotorum duces nusquam archontes, sed tantum boeotarchae appellentur, facillime suspicio oritur, boeotarchas tum, non archontes, exercitui foederis praefuisse. Neque ullum obstat testimonium nisi forte locus ille Thucydidis, e quo

Wilamowitzius[18]) studuit concludere, summam imperii militaris antiquioribus temporibus fuisse penes archontem. Verba enim scriptoris illius, quae in libri quarti capite 91 exstant: *τῶν ἄλλων βοιωταρχῶν, οἵ εἰσιν ἕνδεκα, οὐ ξυνεπαινούντων* sic interpretatur vir doctus: Elf Boeotarchen und ein Archont (?). Suspicatur igitur, ad boeotarchas accessisse archontem, penes quem summa esset potestas. Sed ipsa Thucydidis verba hanc interpretationem respuunt. Pergit enim: *Παγώνδας ὁ Αἰολάδου βοιωταρχῶν ἐκ Θηβῶν μετ' Ἀριανθίδου τοῦ Λυσιμαχίδου καὶ ἡγεμονίας οὔσης αὐτοῦ.* Itaque boeotarchae vicissim tenent imperium Praeterea etiam cur Pagondas, si revera fuit archon foederis, summa sua potestate etiam dissentientibus boeotarchis, non usus sit, plane non potest intellegi: immo modo hunc boeotarcham modo illum summum fuisse ducem in pugna illa Deliaca — aeque ac duces Atheniensium in pugna Marathonia — apparet. Ne in Leuctrica quidem pugna Epaminondam fuisse archontem, compluribus firmatur testimoniis.[19]) Foedere quoque restituto boeotarchae, non archontes mittebanturad hostes impugnandus, itaque Boeoti exercitui invasionem Gallorum defensuro Cephisodotum, Thiaridem, Diogenem, Lysandrum boeotarchas praefecerunt.[20]) — Aliter autem Romanorum aetate res se habuit, nam tum archontes rebus bellicis praefuisse

---

18) Herm. vol. VIII. p. 440 sq. cf. Preuss. l. l. p. 7.

19) Diod. XV, 52: *αὐτοὶ δ' Ἐπαμεινώνδαν στρατηγὸν ἑλόμενοι τούτῳ τὰ κατὰ τὸν πόλεμον ἐπέτρεψαν, συμπαρόντων αὐτῷ βοιωταρχῶν ἕξ.* 53. *ἓξ γὰρ ὄντων βοιωταρχῶν τρεῖς μὲν ᾤοντο δεῖν ἀπάγειν τὴν δυναμιν, τρεῖς δὲ μένειν καὶ διαγωνίζεσθαι. ἐν οἷς καὶ ἦν Ἐπαμεινώνδας συνεξαριθμουμενος ἀπορίας δ' οὔσης — τῶν βοιωταρχῶν ὁ ἕβδομος ἧκεν.*

20) Pausan. X. 20, 3.

haec habeo argumenta: Post pugnam apud Cynoscephalas commissam cum universa gens pacata videretur, Boeoti Brachyllam, Romanis infestissimum, archontem creaverunt. Nam archontem eum fuisse, quamquam Polybius *Βοιωτάρχην* pro *Βοιωτῶν ἄρχοντα* e facili errore scripsit, plane est dilucidum. Ab universo enim populo eum creatum esse, cum boeotarchae a singulis mitterentur civitatibus, docent Polybii haec[21]). *Βοιωτοὶ σπουδάζοντες ἀνακομίσασθαι τοὺς ἄνδρας τοὺς παρ̕ αὐτῶν στρατευσαμένους παρὰ Φιλίππῳ, διεπρεσβεύσαντο . . πρὸς Τίτον. Ὁ δὲ . . . ἑτοίμως συνεχώρησε. ταχὺ δὲ πάντων ἀνακομισθέντων ἐκ τῆς Μακεδονίας, ἐν οἷς ἦν καὶ Βραχύλλης, τοῦτον μὲν εὐθέως βοιωτάρχην* (!) *κατέστησαν.* Alia etiam exstat causa, quae quamquam ipsa non est firma, tamen et valida fit priore argumento et validam reddit argumentationem meam: Ex illis temporibus habemus titulum, in quo archontis nomen exstat quamvis mutilatum: . . . . *λλου;*[22]) neque dubium mihi est, quin ad annum 196 titulus ille pertineat, praesertim cum nomen illud, quod equidem video, tantum aut *Θρασύλλου* aut *Βραχύλλου* possit suppleri. Confirmatur autem haec argumentatio quam maxime aliis testimoniis. Polybius[23]) enim de rebus anno 186 gestis haec tradit: *Οἱ Βοιωτοὶ στρατηγοῦντος Ἱππίου παρ̕ αὐτοῖς παραχρῆμα μὲν ὑπέσχοντο ποιήσειν τὰ παρακαλούμενα· μετ̕ ὀλίγου δὲ πάντων*

---

[21]) Polyb. 18, 43 cf. Liv. 33, 28 Facillime *βοιωτάρχας* et *Βοιωτῶν ἄρχοντας* etiam ab illis misceri, qui rebus Boeoticis maxime student, Larfeldus praebet exemplum, qui p. 10 suspicatur mira ratione boeotarchas etiam sacri foederis (?) Onchestiorum fuisse praesides etc.

[22]) LB. 6. de hoc tit. v. i.

[23]) Polyb. 22, 4, 12.

ὠλιγώρησαν. διόπερ ὁ Φιλοποίμην, Ἱππίου μὲν ἀποτέθειμένου τὴν ἀρχὴν, Ἀλκέτου δὲ παρειληφότος, ἀπέδωκε τὰ ῥύσια. E verbis igitur ,*ἀρχὴν παρειληφότος*' Alcetam post Hippiam archontem foederis fuisse cognoscimus, e verbis, *στρατηγοῦντος Ἱππίου* archontem iam summum fuisse ducem apparet. Similiter, si quidem hoc exemplo uti licet, autor Plut. narr. amat. 4 p. 775 scribit: *στρατηγοῦντος Φοίδου*[24]) *ὃς τότε τὴν ἀρχήν τῶν Θηβαίων* (recte *Βοιωτῶν*) *διεῖπεν.*

Iam ad illum virum nos vertamus, de quo et Polybius et Livius verba faciunt, ad Ismeniam; nam hunc quoque archontem foederis fuisse debet ostendi, ut appareat Romanorum aetate munus illud ita fuisse constitutum, ut archontes aeque ac strategi Achaeorum gubernaculum consiliorum publicorum militiaeque summum imperium haberent. Cautissime autem in hac re diudicanda progrediendum videtur, cum Polybii narratio plena sit lacunis, Livii, qui eum exscripsit, plena erroribus.

Perseus cum bellum intenderet Romanis, legatos ad Boeotos miserat, qui gentis voluntatem captarent. Paullo autem post cum Romani Q. Marcium Philippum misissent legatum, magna pars Boeotorum ad eum defecerunt. Quorum legatos Marcius Chalcidem se sequi iussit. Manserunt autem in fide Macedonum imprimis Haliartii et Coronaei, cum ceterae fere omnes civitates, in quibus Thebani, singillatim, id quod Romani voluerant, legatos mitterent. De iis autem, quae proxime acciderunt, ipsa

---

[24]) Nomen illud *Φοίδου*, quod mirum videbatur Wilamowitzio (l. l.) confirmatur nominibus *Φοιδοκίδας* (Bull. III. p. 133) *Φοισίας* (LB. 670 Rang 35).

Livii verba liceat apponere[25]) „Thebis magna contentio orta erat ex alio certamine; comitiis praetoriis Boeotorum victa pars iniuriam persequens coacta multitudine decretum Thebis fecit, ne Boeotarchae urbibus reciperentur. exsules Thespias universi concesserant; inde — recepti enim sine cunctatione erant — Thebas iam mutatis animis revocati decretum faciunt, ut duodecim, qui privati coetum et concilium habuissent, exilio multarentur. novus deinde praetor — Ismenias is erat, vir nobilis ac potens, — capitalis poenae absentes eos decreto damnat. Chalcidem fugerant; inde ad Romanos Larisam profecti causam cum Perseo societatis in Ismeniam contulerant. Ex contentione ortum certamen. Utriusque tamen partis legati ad Romanos venerunt, et exules accuratoresque Ismeniae et Ismenias ipse.“

Videamus iam, cum ea, quae Livius ex Polybio exscripsit, sint perobscura, quid de rebus eo tempore gestis revera constet: De bello paceque cum concilium Boeotorum constituerit, — id quod infra ostendetur — de communi Boeotorum concilio nostro quoque loco esse cogitandum luce est clarius. Hoc teneamus necesse est, non Thebanorum concilium urbanum esse intellegendum, immo vero concilium Boeotorum Thebis eo anno esse habitum. Quid autem illud constituit? Quamvis dissentiret altera urbium pars, tamen Romanis se adiunxit, quapropter illi, qui Perseum voluerant sequi, seditione facta boeotarchas urbe expulerunt. Victam enim partem, quam Livius significat, eam esse intellegendam, quae

---

[25]) Liv. XLII, 43.

Romanis fuerat infesta, inde apparet, quod boeotarchae expulsi Thespias, in urbem Romanis amicam[26]) se conferunt. Illi deinde, qui Macedonibus faverant, duodecim viros contra leges foederi praeponunt, qui paullo post a boeotarchis revocatis in exsilium mittuntur. Iam igitur foederi praesunt, qui Romanis se vellent subicere, in quibus Ismenias, novus praetor, qui duodecim illos viros Romanis adversos capitis damnandos curat. Ismenias ipse Chalcidem paullo post se reddit, nihil aliud spectans, quam ut universum foedus in societatem Romanorum collocaret itaque impediret, ne foedus, id quod Marcius voluit, omnino dissolveretur. Quae cum ita sint, quid videtur de verbis Livii esse iudicandum, qui illos, quos Ismenias expulerat Thebis, ad Romanos confugisse dicat amicosque illorum significet? Res est dilucida: Verba illa ‚Chalcidem - certamen' tantum addita sunt a Livio, ut declararet, unde accusatores provenissent Ismeniae, cum iam esset oblitus se cap. XXXVIII narrasse, Boeotorum exsules in castris Romanorum adesse. Praeterea causam, cur Ismenias sit accusatus, addere conatur; revera enim non erat, cur Romani in eum inveherentur; nam etiamsi Ismenias eiusque amici prius foedus Macedonicum confecerunt, tamen de sententia sua destiterant; id igitur ei crimini datum est, quod foedus Boeotorum voluit servare contra Romanorum commodum.

Quid autem de archontum potestate inde docemur? Certe Ismenias fuit foederis archon eumque summam habuisse etiam in rebus externis potestatem, inde quod

---

[26]) cf. Polyb. 27, 1, 1.

de societate ineunda cum Romanis agit, documentum habemus.

Vidimus igitur, commutatum esse archontum magistratum, atque iam habemus terminum post quem id accidisse necesse est et ante quem: post invasionem Gallorum et ante bellum Macedonicum. Sed etiam accuratius poterit de hac re diiudicari, si alia quoque foederis instituta commutatata esse poterit ostendi; nam quo tempore hoc accidit, etiam archontis munus commutatum esse elucet. Dico de sede archontum. Scimus enim e Polyaeno[27]) initio saeculi tertii archontis cuiusdam sedem fuisse Orchomeni, habemus in titulis nomina archontis alicuius Thebani, Coronensis. Thespiensis,[28]) quos in sua quemque patria urbe domicilium etiam habuisse Polyaeni adnotatio nos docet. Neque etiam est, cur Thebanos aut alius urbis incolas solos hoc iure usos esse putandum sit. Haec autem consuetudo sedes mutandi non iam valebat, quo tempore Megarenses cum Boeotis se coniunxerant, immo vero Onchesti fuisse archontes, lapides ex illa aetate servati ostendunt.[28a] Quibus testimoniis ad annum 223, quoMegarensesAchaicum deseruerunt foedus, duceremur.[29])

---

[27]) Polyaen. 4, 7, 11. *Δημήτριος κήρυκα πρὸς Βοιωτοὺς πέμψας πόλεμον ἐπήγγειλεν. ὁ μὲν κήρυξ ἐν Ὀρχομενῷ τοῖς Βοιωτάρχαις τοῦ πολέμου τὴν ἐπιστολὴν ἀνέδωκεν.*

[28]) Keil syll. 562. Loll. Mitth. III p. 87 C. I. G. 1593.

[28]a.) cf. tit. Aegosth. et Megar. et fragmentum catalogi Thespiis inventum. Haussoullier, bull. III p. 383.

[29]) Non de amphictyonia quadam esse cogitandum, etiamsi tituli tantum *τοῦ δενα ἄρχοντος ἐν Ὀγχηστῷ* incipiant, inde efficitur, quod idem archontes saepius recurrunt ut *ἄρχοντες τῦς Βοιωτῦς* cf. e. gr. *Ονάσιμος* (Bull. III. p. 459; IV, 77, 79, LB. 4) al. (d. q. v. i.)

Unus autem exstat titulus, quem si demonstrare possumus ante hunc annum scriptum esse, certum institutorum mutatorum invenerimus annum. Titulum hunc a Lollingio editum liceat reconcinasse.[30])

Ἐάν τι ὑπεκ]τίθεσθαι βο[ύλωνται οἵ τε· Βοιωτοὶ καὶ οἱ Φωκεῖς ὁτι-
οῦν, πᾶσ]αν ἀτέλειαν εἶναι αὐτοῖς εἰ[σαγομένοις καὶ ὁσαύτως ὧν
ἂν ἐξ]άγωνται· ἐν δὲ τῇ χώρᾳ διδόναι τ[ὰ τέλη, ἐάν τι βούλωνται ἀπο-
διδό]ναι· τὸ δίκαιον διδόναι αὐτοὺς ταῖ[ς ἀρχαῖς ἐν τῇ χώρᾳ ἐάν τι
ἀπογ]ίνηται ἀπὸ τῶν ὑπεκτιθεμένων κα[ὶ τῶν ἐκ τούτων· τοῦτο κύριον εἶ-
ναι π[αῤ ἑκατέροις, ὑπὲρ δὲ τῶν ἄλλων ἁπάν τ[ων ἥν τις δόξῃ αἰτί-
αν λα]μβάνειν, Βοιωτοὺς καὶ Φωκεῖς παῤ ἀλλή[λων ἔγκλημα ποιεῖσθ-
αι· ἐξ[εῖναι δὲ Βοιωτοῖς καὶ Φωκεῦσι διορ- θώσασ[θαι βουλομέν-
οις [διορθώσασθαι]]ὅ ἂν δόξῃ κοινῇ ἀμφοτέροις· ὀμνύειν δὲ τὰ τέλη ἀμφοτέρων
τὰ κοι]νὰ καὶ τὰ κατὰ πόλεις καθ᾽ ἕ καστον ἐνι- αυτόν, ἐφ[αγιστεύοντα
διαπράξειν τὴμ βου]λὴν ἐπειδὰν αἱρεθῇ, τὰ μὲν Βοιωτῶν ἐν Ὀγχηστ[ῷ, τὰ τὲ Φωκέ —

---

[30]) Quamquam ea, quae supplevi, genuina verba decreti fuisse minime contendam, tamen iis, quae editor erravit, sanatis sensum quidem genuinum mihi enucleasse videor, qua in re certe plurimum debeo Lollingio (Mitth. III p. 19 sq. Symmachievertrag der Phoker und Böoter).

ων ἐν Ἐ]λατείᾳ· ἐξορκιζέτωσαν δὲ τοὺς μὲν Βοιωτάρχ[ας καὶ τὰ τέλη τὰ
ἐμ πόλε]σιν οἱ στρατηγοί, τοὺς δὲ στρατηγοὺς καὶ τὰ κατὰ[πόλεις τέλη
οἱ]Βοιωτάρχαι. τό δε ὅρκιον ἑκάτεροι παρεχόντων· ὅρκος·[ὀμν -
ύω τὸ]ν Δία τὸμ βασιλέα καὶ τὴν Ἥραν τὴμ βασίλαιαν καὶ τὸμ Ποσειδῶνα
καὶ τὴ]ν Ἀθηνᾶν καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς πάντας καὶ πάσας εὐ[νοήσειν
τοῖς Βο]ιωτοῖς καὶ Φωκεῦσιν κατὰ τὰς ὁμολογίας ἀδόλως εἰς τὸν[ἀεὶ
χρ]όνον· εὐορκοῦντι μέ[μ]μοι εἴη πολλὰ κἀγαθά, εἰ δ' ἐφιορκοίην τὰ[ε -
ναντία· το]ὺς δὲ Βοιωτάρχας καὶ τοὺς στρατηγοὺς ἀνα[γρά -
ψαι τὴ]ν συμμαχίαν εἰς στήλην καὶ ἀναθεῖναι ἑκατέρους[σ -
τήσαντα]ς ἐν ἱερῷ οὗ ἂν δοκῇ ἐγ καλλίστῳ εἶναι· —

Quem titulum ut ad certum annum possimus referre, nonnulla de tertii saeculi historia praemonenda erunt. Aratus cum Achaeorum praetor primum esset creatus vere anni 245, statim id omni vi enitebatur ut Achaeorum acutoritas etiam inter exteros populos augeretur. Quapropter cum Corinthios sub potestatem Achaeocum redegisset, etiam cum Boeotis societatem iniit. Boeoti tamen cum propter temeritatem suam Abaeocrito duce[31]) apud

[31]) Polyb. 20, 4 *Ἀμοιόκριτος*. Plut. Ar. 16 *Ἀβοιόκριτος* Nomen eleganter emendavit Kaibelius sec. *Ἀβαιόδωρος* (cf. *Ἀθήν.* III p. 168, I. *Ἀθήν.* III p. 213 v. 10.

Chaeroneam plane essent devicti, statim *συμπολιτείαν* cum Aetolis inire coacti sunt, quam etiam servarunt, donec Demetrius Achaeis Aetolisque una bellum inferret.[32])

His autem temporibus Aetolos sociis suis pepercisse cum per se est verisimile tum titulis soccetatum ab Aetolis initarum[33]) manifestum fit Itaque noster titulus, quo Boeoti et Phocenses se tueri volunt contra Aetolorum latrocinias, non eius temporis potest esse. Posterioribus antem annis magna pars Boeotorum Macedonibus infestissima acerrimo studio efficiebant, ut commnne Aetolis se adiungeret; immo ne multum quidem afuit ne classem regiam apud Larymnam in litus eiectam delerent, nisi Neo et Ascondas hoc prohibuissent.[34]) Sequenlibus quoque annis Boeoti ad Aetolos inclinabant, quoniam anno 223 Megarenses, qui antea cum Achaeis fuerant coniuncti, in dicionem Boeotorum se reddiderunt. Itaque illae invasiones nostrumque pactum intra annorum spatium 245—223 non possunt poni; immo vero, si consideramus tituli aetate Boeotos necessario fuisse liberos, ante annum 245 praeterea, cum nullum gererent bellum, latrociniis vacasse Aetolos, quodsi praeterea, quanto odio quantaque ira inflammati fuerint Boeoti recordamur, cum ne Achaeos quidem manentes proelium inirent, nostro iure nobis concludere videmur, titulum illum paullo ante annum 245 esse conscriptum. Quam ad sententiam firmandam accedunt haec. Anno 220 Aetolis praepositus est Dorimachus quidam, Nicostrati filius

---

32) cf. Polyb. 20, 4 Plut. Arat. 16. Paus. II, 8. Polyb. 20, 5, 2. *προσένειμαν Αἰτωλοῖς τὸ ἔθνος.* cf. Droyseni hist. hell. III, 1 p. 411. 447,

33) C. I. G. 2350, 3046 cf. Droys. l. l.

34) Polyb. 20, 5, 5 sq.

quem cum Lattygo[35]) invasionem in Boeotiam fecisse terramque vastasse Polybius memorat, cum annum illius impetus non addat. Paulo post etiam in Phocenses illos irrupisse Ambrysumque et Daulium urbes delevisse comperimus. Haec autem incursio quam pater Dorimachi anno 220 florentis fecerat, ante annum 220 itaque ante annum 245 facta esse debet. Quod inde quoque efficitur, quod secundum Polybium (4, 52, 2) Aetoli primum a Boeotis Phocensibusque in concilio Corinthiaco graviter accusantur, deinde ab Epirotis, quod eorum quoque agros vastassent. Hanc autem invasionem Epiroticam circa annum 239 factam esse constat, quia propter illam Demetrius Phthiam, mulierem eorum regiam, in matrimonium duxit.

Ex his autem, quae attulimus, quid de archontibus sequitur? Cum e versu 11 tituli nostri Onchestum ea aetate caput iam Boeotorum fuisse appareat, archontes anno 245 iam Onchesti sedem habuisse elucet; sin autem hoc tempore instituta Boeotorum graviter esse commutata constat, quid impedit, quominus totum archontis munus tum esse commutatum censeanus? Certe idem inde quoque sequitur, quod archontis munus tamquam imaginem praebet praetorum Achaeorum, qua de causa non est dubitandum quin Boeoti, postquam Achaeis se adiunxerunt,[36]) novam

[35]) *Λάττυγος* pro *Λάτταβος* Polyeii scripsi, quod in tit. Delphico 2 (Wescher - Foucart, inscr. de Delphes) Nicostratus praeter *Λάττυγον* quendam commemoratur Aetolus, quos eosdem iudico ac Polybii duces. De invas. illa cf. Polyb. 9, 34, 11; 4, 3, 5; 4, 25, 2.

[36]) Meo iudicio etiam foederis illius a Boeotis cum Achaeis icti documentum aliquod servatum est; quod si ad oculos potest demonstrari, etiam forma illius societatis adumbratur. Dico tit. C. J. G. 1542, quo

formam ab illis acceperint, aeque ac posteriore aetate Megarenses instituta Boeotorum imitabantur. Neque mirum, quod eadem magistratus illius forma posteriore quoque aetate remansit; nam et Achaei et Aetoli eadem utebantur, neque difficile erat intellectu, aetate illa bellorum et periculorum unius viri auctoritate aptius quam multorum rei publicae condi salutem atque incolumitatem. Haec habemus, quae de munere archontum disseramus; sed e re videtur apponere indicem archontum foederis Boeotici ita ut primum illos enumeremus, de quorum aetate certi aliquid possumus statuere, tum numerum illorum, de quibus tantum, cuius sint saeculi, constet:

1) *Διοτέλης* archon fuit a. 368 cf. C. I. G. 1565.

2) *Ἀριστίων*
3) *Νικόλαος*
4) *Ἀγεισίνικος*
} archontes fuerunt belli Phocici aetate inter ann. 355/46 cf. *Ἀθήν.* III p. 479.

5) *Φιλόκωμος* Thespiensis (Keil S. 562 et 572) ca. an. 312.

6) *Στράτων* (C. I. G. 1570) ca. ann. 300.

---

obsides Boeotorum et Phocensium proxenia donantur. Hanc enim inscriptionem, cum obsides Haliartii et Oropii commemorentur, inter Ol. 125/152 cadere Boeckhius perspexit; mihi in annum 245 cadere videtur. Casune enim tantum accidere potest, ut Phocensium obsides una cum Boeotorum commemorentur? Nonne summa cum veri specie conicimus, obsides esse datos propter pactum illud, de quo etiam Polybius 20, 4 Plut. Arat. 11 verba faciunt? Neque numerus obsidum Boeotorum videtur esse fortuitus; immo vero octo illae urbes, quas boeotarchas vel scribam foederis misisse infra demonstrabimus, singulos obsides dedisse pro certo habeo. Certe homines illi a Boeotis missi fuerunt nobili loco orti, itaque causa cur Aratus, vir cautissimus, illis donaverit proxeniam, satis est perspicua.

7) *Εὔμειλος* Coronensis (Mitth. III, 87) }
8) *Σαμίας* Thebanus (C. I. G. 1593). } ca. ann. 300.

Causas iam licet afferre, cur hanc archontum seriem necessariam esse arbitrer. Oropium titulum (6) supra statuimus cadere inter foederis primordia. Titulum 7 huic esse postponendum inde efficitur, quod Oropum *αὐτονομίαν* iam habere illo docemur. Contra eo tempore, quo Philocomus archon fuit, Oropii[37]) non iam boeotarcham miserunt; tamen proxime distant tit. 5 et tit. 7, cum idem *Ὀνύμαστος Νικολαΐω* Thespienses in utroque compareat theorus. Convenit cum hoc archontum ordine quod in tit. 5 et 7 *οι* semper, *υ* plerumque servatur; patronymica in tit. 5 adiectivis redduntur, cum in tit. 7 unus genitivus *Εὐβώμω* exstet, in tit. 8 semper adhibeatur genitivus.

9) Eiusdem aetatis archon est Orchomenius ille, quem Polyaenus memorat. l. l.

10) Abaeocritus archon fuit anno 245.

Certa magni archontum numeri vestigia inde habemus, quod in titulis Megaricis archontes commemorantur Boeotorum, quos inter annos 223/192 illo munere functos esse Foucartus iure suo inde conclusit, quod eo tempore Megarenses se sub Boeotorum dicionem reddiderant.[38]) Larfeldus autem p. 8. angustiores terminos titulorum illorum statuens omnes illos titulos inter annos 223/197 scriptos esse contendit Examinemus igitur, cum minime mihi persuaserit,

---

[37]) Quamquam Oropii ne posteriore quidem aetate semper miserunt boeotarcham, tamen hoc titulo septem demum non octo urbes repraesentantur. (Videsis quae de boeotarchis disputabimus).

[38]) Cf. Plut. Cleom. 17. Polyb. 2, 52; 20, 6, 8. Bull. IV. p. 88.

quomodo ille sit argumentatus: E Polybio constat, haud multum ante bellum ab Antiocho rege cum Romanis gestum (192—189) Megarenses labefactatis in dies rebus Boeoticis cum Achaeis denuo societatem iniisse. Haec nota sunt; mira autem ea quae deinde Larfeldus disputat. Inde enim, quod anno 196 T. Quinctius Flamininus omnibus Graeciae civitatibus libertatem restituit eorumque agros, qui infesti exstiterant nomini Romano, civitatibus secum coniunctis tradidit, concludit ille — non enim memoratur, cui Megarenses siut attributi — horum quoque civitates inde ab a. 198 Achaeorum cum Romanis coniunctorum dicionis factam esse. — Quid autem? Cur Polybius sive Livius diserte omnes gentes enumerans, quae cum Achaeis coniunguntur, Corinthum, Triphyliam, Heraeam, silentio tantum praetermisit Megarenses? Certe etiam Polybius, scriptor Achaeus, si Megarenses Achaeis iterum se alligassent, hoc memoriae tradidisset, neque tum potuit dicere (20, 6): *ὅτε Κλεομένης εἰς τὸν Ἰσθμὸν προεκάθισεν, διακλεισθέντες προσέθεντο τοῖς Βοιωτοῖς* (sc. Megarenses) . . *βραχὺ δὲ πρὸ τῶν νῦν λεγομένων καιρῶν* (sc. a. 192) *δυσαρεστήσαντες τῇ πολιτείᾳ τῶν Βοιωτῶν αὖθις ἀπένευσαν πρὸς Ἀχαιούς*, immo vero de foedere antea soluto verba fecisset; neque etiam fieri potuit, ut Megarenses, siquidem Achaeis fuerant subditi, post annum 193 denuo cum Boeotis Romanis inimicissimis se coniungerent. Meo quidem iudicio Megarenses sub Boeotorum relinquebantur dicione et Boeotorum ipsorum libertas a Romanis servabatur, ne Achaeorum sive Aetolorum foedus nimis inter Graecos praepolleret. Larfeldi igitur coniectura cum conciderit,

ad priorem virorum doctorum opinionem redeundum est, Megarenses inde ab anno 223 usque ad finem a. 193 sub ditione fuisse Boeotorum; itaque tituli Megarenses inter hos sunt distribuendi annos.

Iam ad singula nos vertamus. In titulis Megarensibus a Le-Basio editis, praeter magistratus urbanos etiam archontes Boeotorum inveniuntur: Quos archontes secundum ordinem titulorum enumeremus necesse est.

1) **Καφισίας** (LB. 3)
2) **Ὀνάσιμος** (LB. 4)
3) **Ἱππίας** (LB. 5)
4) **Βραχύλλης** (ibid 6)
5) **Λεωνίδας** (ibid 7)
6) **Χαρίλαος** (ibid 8. 34b)
7) **Μνάσων** (ibid 9)
8) **Ἀριστοκλῆς** (ibid 10)
9) **Θεότιμος** (ibid 11)

Videamus, num de aetate eorum certi aliquid possit statui. Anno 196 Brachyllam creatum esse archontem supra ostendi; eodem anno interfecto Brachyllae successit archon quidam suffectus, cui nomen fuisse Leonidam conicio Initio enim anni 196 Brachyllam interfectum esse e Livio apparet, qui (33, 27, sq.) narrat, precibus Boeotorum commotum Quinctium, qui tum (197/96) hibernabat Elateae, permisisse, ut qui Boeotorum apud Philippum militassent, sibi restituerentur. Confestim autem illi Brachyllam archontem creaverunt. Sequitur igitur, cum ludorum Isthmicorum tempore, qui mensi Iulio celebrabantur, Graeci liberi declararentur itaque seditionem propter illius caedem ortam iam exstinctam esse necesse

esset, Brachyllam initio anni esse occisum. Itaque novus praetor eodem anno 196 creatus esse debet. Sequentibus deinde annis praeter Leonidam archontes Boeotorum fuerunt Charilaus, Mnason, Aristocles, Thiotimus, quo archonte Megarenses foedus Boeotorum reliquerunt. Convenit cum hoc ordine archontum quam optime numerus annorum qui inter caedem Brachyllae et Megarensium defectionem intererant; in titulis enim, qui post Theotimum archontem conscripti nobis sunt servati, Megarenses non iam Boeotis fuisse subditos, inde elucet, quod illis magistratus Megarensium proprii, non archontes Boeotici praescribuntur; itaque id Thiotimo archonte accidisse necesse est.

Tamen in aqua condita esset disputatio nostra, nisi contigerit demonstrare in archontum illorum serie, qui in titulis Megarensium exstant, esse lacunam ante nomen Brachyllae; eum enim Antiphilo successisse supra secundum Livium 33, 1 statuimus. Videamus igitur, num indicia praesto sint, quibus titulos Caphisiae, Onasimi, Hippiae antiquiores esse ceteris manifestum fiat.

Onasimus praeterea recurrit in tribus titulis,[39]) quorum duos eiusdem esse anni polemarchorum nomina ***Φιλόμειλος Φίλωνος, Καφισόδωρος Διωνουσίω, Ἀθανόδωρος Ἵππωνος*** et archontis urbani ***Πολυκράτης Μυριχίω*** ostendunt. Tertius autem titulus alius est anni, cum praetoris nomen lapicidae tantum errore sit insculptum Proxime autem ad horum titulorum annum appropinquant alii nonnulli, quod ut clarius possit demonstrari, initia liceat afferre eaque quae alicuius sunt momenti:

---

[39]) bull. III, 459; IV, 77; 79.

1) Keil syll. p. 13 III.

1. *Χαιρώνδαο ἄρχοντος . . .*

5 *παρεῖαν πολέμαρχοι οὑπὲρ τᾶς πόλιος Ἀντιγενίδας Εὐκρατίδαο, Καφισόδωρος Ἀρίστωνος, Τιμόμειλος Καφισίωνος.* 12. *Ϝίστορες· Ὀνάσιμος Θιογίτονος, Εὐρυφάων Δαμοτέλιος, Καλοκλίδας Φιλομείλω, Σωκράτεις Μεγαλίαο.*

2) Keil z. S. p. 630.

1. *Κτεισίαο ἄρχοντος Βοιωτῦς, Ἐρχομνίυς δὲ Καραΐχω Ἑρμαίω, πολεμαρχιόντων Ἀντιγενίδαο Εὐκρατίδαο, Καφισοδώρω Ἀρίστωνος, Τιμομείλω Καφισίωνος, γραμματίδδοντος τῦς πολεμάρχυς Διωνουσίω Καλλιμέλιος τὺ πρᾶτον...*

3) bull. III, p. 459 IV. 109. *Ἐδάνεισε Νικαρέτα Θέωνος Θεσπικὴ, παρόντος αὐτῆι κυρίω τοῦ ἀνδρὸς Δεξίππου Εὐνομίδου, Καφισοδώρωι Διονυσίου, Φιλομήλωι Φίλωνος, Ἀθανοδώρωι Ἵππωνος, Πολυκρίτωι Θάροπος, καὶ ἐγγύοις εἰς ἔκτεισιν τοῦ δανείου Μνάσων Μέγκαο, Τελεσίας Μέγκαο, Λασίππωι Ξενοτίμου, Εὐάρει Εὐχώρου, Περιλάωι Ἀναξίωνος, Διονυσοδώρωι Καφισοδώρου, Κωμίναι Τελεσίππου, Ὀνασίμωι Θιογείτωνος, Καφισοδώρωι Δαματρίχου, Νικοκλεῖ Ἀθανοδώρου Ὀρχομενίοις . . . ἐς τὰ Παμβοιώτια τὰ ἐπ' Ὀνασίμω ἄρχοντος Βοιωτοῖς.*

4) Bull. IV, 77. *Ὀνασίμω ἄρχοντος Βοιωτῦς, Ἐρχομενίυς δὲ Πολυκράτιος Μνριχίω πολεμαρχιόντων Φιλομείλω Φίλωνος, Καφισοδώρω Διωνιουσίω. Ἀθαοδώρω Ἵππωνος, γραμματίδοντος τῦς πολεμάρχυς Δαϊκρατίδαο Ἀπολλωνίδαο τὺ . . . .*

5) ibid. 79. *Ὀνασίμω ἄρχοντος Βοιωτ || Δαμοφίλω ἄρχοντος Βοιωτοῖς, Ἐρχομενίοις δὲ Σφοδρίαο Εὐρυτιμίδαο, πολεμαρχιόντων Κλιοξένω Πολουκρίτω, Κωμίναο Τελεσίππω,*

Μνάσωνος Μεκγήω, γραμματίδδοντος τῦς πολεμάρχυς Πολυκρίτω Φιλοκλειίω τυὶ . . . .

6) Keil z. Syll. 569. *Πρωτομάχου ἄρχοντος Βοιωτῦς, Ἐρχομενίυς δὲ Εὐαγόραο Φόξωνος, πολεμαρχιόντων Ὀνασίμω Θιογίτονος, Ἐλασίππω Ξενοτίμω, Κωμίναο Τελεσίππω· γραμματίδδοντος τῦς πολεμάρχυς Καλοκλίδαο Φιλομείλω, τυὶ . . .*

Hos titulos fere aeqales esse elucet. *Ἵστωρες* enim, qui in tit. 1 exstant, *Ὀνάσιμος* et *Καλοκλίδας* in tit. 6 revertuntur alter polemarchus alter scriba polemarchorum. Iidem polemarchi in tit 1 et 2 exstant. *Ὀνάσιμος* archon memoratur in 3, 4, 5, iidem polemarchi in 3 et 4 leguntur. *Κωμίνας*, polemarchus in tit. 5 et 6, *Ἐλάσιππος* et *Ὀνάσιμος* polemarchus in 6, *Μνάσων* polemarchus in 5, commemorantur omnes in tit. 3. Praeterea inde quod nomen Onasimi in tit. 5 errore lapicidae insculptum sit ante Demophilum, hunc successisse Onasimo apparet. Scimus autem illo tempore usum *υ* pro *οι* scribendi ortum esse (Larf. p. 23 Meister compl. l.) Quam novam rationem cum in tit. 2 et 6 ubicunque videamus adhibitam, cum in ceteris promiscue *οι* et *υ* usurpentur, non dubito Ctesiam et Protomachum archontes Onasimo et Demophilo postponere. Videmus igitur in titulis Megaricis ordinem archontum non esse servatum; neque igitur quidquam obstat, quominus Brachyllam initio anni 196 Antiphilo successisse iudicemus. — Temporis Megarici etiam esse titulos Hyettios[40]) nomina Caphisiae, Thiotimi, Potidaichi, qui iidem in

---

[40]) *Ἀθήν.* I, 492. sq.

titulisMegaricis recurrunt, et Ctesiae, de quo modo diximus, indicare Foucartus perspexit [41])

Hippias et Alcetas archontes fuisse foederis annis 187 et 186 Polybius tradidit.[42]) Ismenias hoc munere functus est anno 171.[43a])

Iam de ceteris foederis archontibus videamus, de quibus tantum saeculum possumus statuere. Qua in re ita progrediemur, ut quoad eius fieri poterit, ordinem secundum dialectum constituendum servemus.

Inter eos, qui iam enumerandi sunt archontes longe est antiquissimus *Χαρόπινος* (Keil z. Syll. p. 553 sq.) cf. ***Βοιωτοῖς***, *Λεβαδήοις*, *Διονυσόδωρος Ὀλύμπιχος* (v. q. 2) Titulus est aetatis Epaminondae. .... *Μελαντίχω* archon fuit ca. finem saec. IV (cf. C. I. G. 1574) cf. *τοι*, ***Γρούλιος***, *Διωνουσίχιος*, ***Fάδωνος*** *Πολυκριτίω*, patronymica adiectivis semper exprimuntur. Paulo recentioris aetatis est *Ἀγάθαρχος* (Eph. arch. 892) cf. *τοι*, ***Σύριος***. Patronymica polemarchorum adiectivis, ceterorum genitivis redduntur. *Πτωΐων* (Bull. II p. 507) ***Μνασῖνος*** (C. I. G 1583), siquidem archon foederis fuit, ***Καφισόδωρος***, ***Μνασικλῆς***, ***Νικάριστος*** (*Ἀθήν*. I. p. 501) *Ἀγαθαρχίδης*. *Ἀπολλόδωρος*, *Ἀρίστων*, ***Εὐμαρίδης***, ***Καφισιότιμος***, ***Νικίας***, ***Φιλόξενος*** (*Ἀθήν*. I. p. 490 sq.) ***Φίλων***, *Ἵππαρχος*, ***Φίλων*** iterum, *Δαμάτριος* (bis) ***Εὐκλίδης***, ***Ξεναρτιούδης***, *Ἀριστόμαχος*, *Διωνιούσιος*. (Bull. II. p. 493 sq.) ***Μελίτων***, ***Σώστροτος***, (*Ἀθήν*. IV. p. 215). ***Σφοδρίας*** (bull. IV. p. 83) ***Fαστίας*** (bull. IV. p. 96) inter annos 220—146 archontes fuerunt.

---

41) Bull. IV,, 84. 89.

42) 22, 4. 12.

42a) Liv. 42, 43.

(cf. etiam, quae supra de Onasimo etc. disputavimus). *Καλλικράτης* (C. I. G. 1576) *Τιμέας* Keil z. Syll. p. 546) *Καλλικρατίδης* (ibid. 541) nescio an foederis liberi archontes fuerint; post annum 146 eos propter complures vulgaris dialecti formas posuerim (*Σωσικλέους*, *Μενεκλῆς*, *Εὐθυκράτους*, *Μελιστίχου*, *ἐφήβων*, *Κλέωνος*). De Callicrate propter apographum a Cyriaco pessime confectum certi nihil statui potest. *Θευγνωτείδαν* (Ἀθήν. III. p. 482), qui num foederis archon fuerit dubitandi locus restat, cum Cumanude aetatis Cassandreae esse iudico.

B. Boeotarchae et contio.

Praeter archontes totius foederis commodis serviebant imprimis B o e o t a r c h a e et c o n t i o. Illi enim de omnibus rebus, quae ad commune attinebant, constituerunt, de civitate donanda, de foedere faciendo, de bello paceque deliberandis.

Ac de altero titulo (C. I. G. 1565) qui proxeniae continet decretum, satis superque dictum videtur (cf. dissert. huius adn. 3); sufficiat hoc loco alterum (Mitth. III, p. 93) afferre: . . *ὁ δεῖνα ἔλεξε δεδόχθαι τοῖ δάμοι τὸν δεῖνα*] . . . . *λωνος Βι* . . . . . *Βοιωτῶν πρόξενον εἶμεν καὶ εὐεργέταν καὶ εἶμεν αὐτοῖ ἀτέλειαν καὶ ἀσουλίαν καὶ ἀσφάλειαν καὶ πόλεμω καὶ ἰράνας καὶ καγγᾶν καὶ κατὰ θάλατταν, καὶ γᾶς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν καὶ αὐτῶι καὶ ἐγγόνοις· Βοιωταρχιόντων Ἀσωποδώρω, Μαληκίδαο, Διογίτονος, Μιξίαο, Ἀμινιάδαο, Ἱππίαο, Αἰτώνδαο.* Nomina Boeotarcharum addita esse, quod ipsi sententiam de proxenia dederant, priusquam ad populum rogatio ferretur, dilucidum est. Quae sententia — boeotarchas

una cum populo de rebus domesticis statuisse, — aliis quoque indiciis stabilitur. Progrediendum quidem est, ut hoc diiudicetur, a Thucydidis loco (5, 31), qui in rebus anno 421 gestis narrandis mentionem facit Boeotarcharum et quattuor conciliorum, de quorum natura, cum adhuc sit incognita, simul poterit disputari: Hieme 421 Lacedaemoniorum ephori, imprimis Xenare et Cleobulo auctoribus convocarunt concilium, ad quod etiam Boeotorum accesserunt legati de foedere acturi. Quod cum nullo modo posset confici, Xenares eiusque socii clam cum legatis egerunt iisque persuaserunt, ut facto cum Argivis foedere Argivos ad societatem Lacedaemoniorum traherent. Quod tamen consilium, quamvis acciperetur ab Argivis et omni opera defenderetur a boeotarchis, tamen debuit omitti, quia *τέσσαρες βουλαὶ* non consentiebant. Causam autem huius dissensus scriptor affert eam, quod boeotarchae veras foederis causas siluerint, quattuor concilia, ne Lacedaemonii irascerentur, propositum denegasse. Quibus verbis scriptorem rem, cuius causas non intellegeret, male declarare temptasse, vel inde efficitur, quod boeotarchae, si maiorem partem conciliorum Spartanis favere persuasum habebant, certe non tacere maluissent, quam rem ipsam contioni declarare. Res ipsa dilucida est: Boeotarchae quidem Lacedaemoniis faverunt, quattuor autem illa concilia omni vi prohibuere, ne societas iniretur; habemus igitur dissensum inter partes illas, penes quas illa aetate gubernaculum esset foederis. E Polybio autem (27, 1, 9 Liv. 33, 1, al.) populum praeter boeotarchas de rebus foederis constituisse universi comperimus, itaque, cum populus et boeotarchae commune reprae-

sentarent Boeotorum, facere non poterimus, quin quattuor illis conciliis contionem coërcitam significari iudicemus. Cuius rei causas liceat apponere: Post pugnam apud Oenophyta comissam cum democratia esset sublata[43]), oligarchia quaedam instituta est hominum non nobilium sed ditissinorum. Certificatur hoc lege ab Aristotele[44]) servata: *ἐν Θήβαις δὲ νόμος ἦν τὸν δέκα ἐτῶν μὴ ἀπεσχημένον τῆς ἀγορᾶς μὴ μετέχειν ἀρχῆς.* Illi igitur homines, qui ius haberent suffragii, quattuor formasse videntur concilia, quod tamen institutum Epaminondae et Pelopidae aetate, sublata oligarchia, abolitum est. Non igitur mirum, quod in titulis posterioris aetatis muquam *τέσσαρες βουλαὶ* recurrunt.

Scimus iam de summis rebus decrevisse et boeotarchas et populum, quod idem e tit C. I. A. 308 docemur.

Nullum autem decretum ratum fuisse, nisi utraque pars consentiret, inde fimus certiores, quod denegante contione foedus illud cum Argivis a boeotarchis propositum non conficitur.

Praeterea de rebus sacris penes eadem concilia arbitrium fuisse et de magistratibus sacris creandis e tit. C. I. G. 1570 discimus. Verba haec sunt: *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, ὡς ἂν κυρωθῇ τὸ ψήφισμα,*

---

[43]) Aristot. Polit. 8, 5, 3 sq. 'p. 1302 *καὶ ἐν Θήβαις μετὰ τὴν ἐν Οἰνοφύτοις μάχην κακῶς πολιτευομένων ἡ δημοκρατία διεφθάρη* (cf. Kirchhoff: Ueber die Abfassungszeit der Schrift vom Staate der Athener. Abh. der Berl. Acad. der Wissensch. 1878. pag. 5.

[44]) Aristot. Pol. III, 3, 4 (5); VII. 4, 5 (VI; 7): *καθάπερ Θηβαίοις ἀποσχομένοις χρόνον τινὰ τῶν βαναύσων ἔργων* cf. Muelleri hist. Theb. p. 68. Lips. 1879.

ἑλέσθαι τρεῖς ἄνδρας ἐκ πάντων, τοῖς δὲ αἱρεθεῖσιν οἱ ἱεράρχαι παραδότωσαν . . . Quin etiam poenas repetere debebant ex iis, qui in foedere peccaverant. cf. Diog, Laërt II, 142: διέτριβε Μενέδημος ἐν Ὠρωπῷ ἐν τῷ τοῦ Ἀμφιάρεω ἱερῷ, ἔνθα χρυσῶν ποτηρίων ἀπολομένων, καθά φησιν Ἕρμιππος, δόγματι κοινῷ Βοιτῶν ἐκελεύσθη μετελθεῖν. — Iam si quaerimus, quomodo inita sint suffragia quaeque inter boeotarchas et contionem exstiterit necessitas' de hac re omnino decernendum esse videtur, si de singularum urbium magistratibus quaestio erit nam cum de rebus foederis aeque ac de rebus urbanis βουλὴ constitueret et δῆμος,[45]) exempla autem satis dilucida tantum de rebus urbanis praesto sint, disputatio de utrisque facile coniungi potest.

Contiones communis Boeotorum quotiens convenerint, non memoriae est traditum; fortasse quotannis ut in foedere Achaïco[46]) bis id accidere solebat. Certe etiam contiones extra ordinem potuerunt convocari. Testimonium praebet Livius, qui tradit, hieme 197 cum Flamininus dolo esset Thebis potitus, concilium statim communis Boeotorum in diem posterum indictum esse, ut de foedere icendo deliberaret (33, 1). Suffragia autem secundum singulas urbes, non secundum singulos, qui advenerant, esse numerata, ex eodem scriptore (l. l.) haurimus. Scribit enim: „Rogatio . . omnium Boeotiae civitatum suffragiis (non: onnium Boeotorum suffragiis)

---

[45]) Boeotarchas formare βουλὴν e verbis tituli C. J. G. 1570 modo laudatis evincitur. Utrique appellantur τὸ κοινὸν Βοιωτῶν συνέδριον (C. J. G. 1625) vel simplicius τὸ κοινὸν Βοιωτῶν (compl. locis).

[46]) Polyb. 2, 54, 3 Liv. 38, 32 al.

accipitur iubeturque." De ceteris rebus, quae ad contiones attinent, cap. II agendum erit, id tantum hoc loco est statuendum, magistratus foederis a populo esse creatos. Cuius rei Polybius[47]) tantum mentionem facit verbis hisce: *Ἔνιοι δὲ τῶν στρατηγῶν* (dicit de statu foederis corruptissimo) *καὶ μισθοδοσίας ἐποίουν ἐκ τῶν κοινῶν τοῖς ἀπόροις τῶν ἀνθρώπων. ἐξ ὧν ἐδιδάχθη τὰ πλήθη τούτοις προσέχειν καὶ τούτοις περιποιεῖν τὰς ἀρχάς, δι' ὧν ἔμελλε τῶν μὲν ἀδικημάτων καὶ τῶν ὀφειλημάτων οὐχ ὑφέξειν δίκας. προςλήψεσθαι δὲ τῶν κοινῶν ἀεί τι διὰ τὴν τῶν ἀρχόντων χάριν* sq.

Iam de boeotarchis est agendum. Ac primum, ut fundamentum habeamus disputationis nostrae, quaestio erit solvenda, utrum *ἀφεδριεύοντες*, qui saepius in titulis recurrunt,[48]) iidem fuerint, ac Boeotarchae an non. Ex ipso numero illud nequaquam potest colligi, cum eum sacrum fuisse tuo iure obvertas. Tamen *ἀφεδριεύοντας* collegium formasse boeotarcharum, haec in promptu habeo argumenta. In titulo archonte Samia confecto (C. I. G. 1593) praeter septem *ἀφεδριεύοντας* (Thebis, Orchomeni, Coroneae, Anthedone, Thespiis, Tanagrae, Oropi ortos) etiam *γραμματεύων* quidam Plataeensis affertur. Videntur igitur septem urbes quovis anno misisse *ἀφεδριεύοντας*,

---

[47]) Polyb. 20. 6. Archontem aetate oligarchiae *ἰσονόμου*, de qua supra verba fecimus, sorte esse creatum Plutarchus, de gen. Socr. cap. 31. (p. 720 Duebn.) enarrat. cf. Müll. J. J. p. 70.

[48]) Keil. syll. 570. 1; ibid. p. 572. Mitth. III, p. 87. Bull. I. p. 211, 3 (quamquam ipsa vox *ἀφεδριεύοντες* deest, tamen ita eos appellatos esse in tit. inde apparet, quod aeque atque in cet. tit. *Θιωπροπίων* sequitur quidam). Bull. I, 208, 1 (tripodem devovent Iovi Liberatori Plataeensi).

octava scribam; rursum in tit. supra laudato (C. I. G. 1542) Achaeis dati obsides Boeotorum octo reperiuntur; itaque in rebus publicis Boeotiae octonarius numerus civitatum regnat neque dubium potest esse, quin octo illae urbes octo legatos ad res foederis diiudicandas miserint. Iam vero, cum boeotarchae, ubicunque enumerantur, septem appareant, octavam urbem scribam misisse sequitur. Ergo, quod nobis proposuimus, demonstravisse videmur: Constat collegium *τῶν ἀφεδριατευόντων* ex octo viris quorum septem appellantur *ἀφεδριεύοντες*, unus *γραμματίδων;* constat collegium Boeotarcharum totidem ex hominibus, e septem boeotarchis unoque scriba. Utrumque collegium ex octo urbium legatis compositum est. Nonne igitur apparet, *ἀφεδριεύοντας* ac boeotarchas fuisse eosdem? Accedit, quod ‚*ἀφεδριεύοντας*‘ rebus tantum sacris consuluisse titulis confirmatur, e tit. autem *Ἀθήν.* IV 369 idem boeotarchis fuisse officium legimus: *ἐὰν δὲ μὴ χρῆται ἐργώνης μίλτῳ Σινωπίδι ἢ ἐλαίῳ καθαρῷ, ζημιωθήσεται ὑπὸ τῶν ναοποιῶν καὶ βοιωταρχῶν.*

Septem missos esse boeotarchas statuimus unumque foederis scribam; quaerendum iam videtur esse, quae fuerint octo illae urbes, quibus communes foederis magistratus mittere liceret. Quod ut possit perspici, titulos singulatim apponam:

1) Mitth. III p. 87
Coronea, Haliartus, Thespiae, Plaetaeae, Thebae, Orchomenus, Lebadea, Tanagra (8)

2) Keil Syll. p. 511.
Coronea, Anthedon, Thespiae, Plataeae, Thebae, Orchomenus, Tanagra (7)

3) Keil z. Syll. 570.
Coronea, Anthedon, Thespiae, Plataeae, Thebae, Orchomenus, Oropus, Tanagra. (8)

4) Bull. 1, 208 (mutil.)
Coronea, Anthedon, Thespiae, Plataeae, Thebae.

5) Bull. I, 210 Orchomenus Acraephion

6) ibid. Thespiae, Thebae, Orchomenus, Hyettus.

7) C. J. G. 1542:
Coronea, Haliartus Thespiae, Plataeae Thebae, Orchomenus, Oropus, Tanagra.

8) Paus. 9, 3, 6 Daedaleorum participes affert has (v. i):
Coronea, Chaeronea, Thespiae, Plataeae, Thebae, Orchomenus, Lebadea, Tanagra.

9) Thuc. 4, 91 harum urbium copias enumerat:
Coronea, Haliartus, Thespiae, Thebae, Orchomenus, Copae, Tanagra.

10) Polyb. 27, 1 (Liv. 42, 43) anno 171 enumerantur:
Coronea, Haliartus, Thespiae, Thebae, Chaeronea,
Accedit Plataea (Liv. XXXIII, 2); de Tanagra, Orchomeno, Oropo nihil scimus.

Videmus iam collatis titulis, Thebas, Orchomenum, Coroneam, Tanagram, Thespias, Plataeas[49]) semper repraesentari. Praeterea cum ita foedus esset institutum, ut nullus certus esset numerus liberarum urbium, sed certus Boeotarcharum,[50]) binae vel ternae minores civitates singulos mittebant boeotarchas per vices et coniunctim

---

[49]) Platalenses cum semper suum haberent legatum in concilio, in tit. 3, tantum haberent scribam, hunc aeque ac boeotarchas praeditum fuisse auctoritate discimus.

[50]) cf. Boekh. C. I. G. p. 728.

uno gaudebant suffragio. Itaque Haliartus, Anthedon, Thisbae, Chaeronea septimum, Lebadea, Oropus, Acraephia, Hyettus octavum legatum vicissim miserunt.[51]) Copas, quae urbs in pugna Deliaca non habuerat nullam auctoritatem, posterioribus temporibus cum nusquam inveniamus memoratas, statuendum videtur magis magisque esse debilitatas; quin etiam *αὐτονομίαν* perdidisse inde concluserim, quod in urbis illius catalogis militaribus foederis tantum archon, nusquam urbis commemoratur. — Habemus igitur, quae fuerint sui iuris, quatuordecim urbes, qui numerus optime cum Pausaniae loco (9, 3, 6) convenit, qui enarrat, in parvis Daedalis octo urbes (v. s.) signa quotannis comparata quaternadena inter se sortiri. Quod autem pergit: *τῶν δὲ πολισμάτων ὁπόσα ἐστὶν ἐλάσσονος λόγου, συντέλειαν αἱροῦνται* hoc cum nostro iudicio videtur consentire. — Alio autem modo prioribus temporibus res se habuit.

Nam quamquam in Leuctrica quidem pugna eundem numerum Boeotarcharum fuisse constat (cf. adn. 19) tamen de priore aetate idem non constat. In pugna enim Deliaca praefuisse Boeotis Thucydides (4, 91) tradit undecim boeotarchas: *τῶν ἄλλων βοιωταρχῶν, οἵ εἰσιν ἕνδεκα, οὐ ξυνεπαινούντων μάχεσθαι, Παγώνδας ὁ Αἰολάδου βοιωταρχῶν ἐκ Θηβῶν μετ' Ἀριανθίδου τοῦ Λυσιμαχίδου καὶ ἡγεμονίας οὔσης αὐτοῦ.* Quae discrepantia, quomodo tolli possit, postquam supra non de archonte esse

---

[51]) Singuli boeotarchae commemorantur act. posteriore: Lebadeae (Keil z. Syll. 555.) Thisbis (C. I. G. 1626) Chaeroneae (Dech. rec. 16). Megarensis C. I. G. 1058. Phocensis C. I. G. 1738.

[52]) Cf. C. I. G. 1574. Keil z. Syll. 556 Ἀθήν I. p. 501.

cogitandum, ostendere studuimus, nunc consideremus. Tradit Thucydides, sinistram alam occupasse Orchomenios, Tanagraeos, Thespienses, mediam aciem Copaeos, Coronenses, Haliartios, alam dexteram Thebanos. Unaquaeque igitur pars in ternas divisa erat partes minores; nonne etiam Thebanos, qui tertiam formabant partem, trium boeotarcharum imperio subditos fuisse consentaneum est? Accedit, quo haec comprobetur sententia, quod Epaminondae aetate expulsis oligarchis iterum ternos Thebani boeotarchas creaverunt, qua in re nescio an ad pristinum statum redierint.[53]) Quare ipsum scriptorem iudico scripsisse: *Παγώνδας ὁ Αἰολάδου βοιωταρχῶν ἐκ Θηβῶν μετ' Ἀριανθίδου καὶ* (pro *τοῦ*) *Λυσιμαχίδου.* Quid autem porro? Novem haberemus boeotarchas, non undecim! Num forte *ἕνδεκα* mutandum est in *ἐννέα?* Minime; mea quidem sententia, priusquam numerus mutetur, omni modo tentandum videtur, num qua ratione possit declarari. Ac Boeckhius quidem sic argumentatur (p. 727 sq.): — Numerus ille mirus undecim boeotarcharum, quot etiam statuit Schol. Thuc. II, 2 inde ortus est, quod e quattuordecim illis liberis urbibus, quae secundum Pausaniam fuerant amphictyoniae cuiusdam membra, tres in alienam cesserant potestatem idque ita ut nullus pro iis sisteretur boeotarches. Exemptas autem tum fuisse Plataeas, Oropum, Chaeroneam. Itaque praeter eas, quas Thucydides enumerat urbes, inter quas Thebae pro Acraephia ferrent alterum suffragium, Lebadeam, Anthedonem, Chaliam misisse copias ducibus boeotarchis.

---

53) Plut. Pelop. 13 al.

Hanc viri docti argumentationem stare non posse dilucidum est. Cur enim harum urbium milites a Thucydide non memorantur? ubi erant, dum dimicaretur? quid fecerunt? Praeterea, cur quattuordecim urbes unqam aequis condicionibus boeotarchas misisse sit putandum, causa prorsus nulla extat. Quattuordecim urbes sane liberas fuisse concedendun est, num tamen ita eas fuisse constitutas censendum est, ut Chalia aequo iure frueretur atque Orchomenus? Minime. Quid tamen statuendum? Meo quidem iudicio, ne numerum coniectura mutemus necesse sit, undecim illa aetate partes continebat foedus, Thucydides autem praetermisit significare earum numerum tum fuisse comminutum, quia Plataeae, Oropus, Chaeronea aliaeque minores urbes foederis membra non erant. Secundum leges igitur undecim exstabant partes, pugnae tamen novem tantum interfuerunt boeotarchae, qua re facile error scriptoris declaratur. Epaminondae deinde aetate septem formabantur partes ita ut Thebae denuo ternos haberent boeotarchas; post Thebas restitutas Oropumque foederi adiectam, cum Thebanis unus tantum maneret legatus, octo illae partes instituebantur, quas supra adumbravimus.

Exposito sic iudicio meo de numero boeotarcharum restat ut demonstremus, eos in bello copiis patriae urbis praefuisse. Atque de pugna Deliaca hoc ex iis, quae de numero exposui, fit dilucidum; sed posterioris quoque aetatis indicia requirenda sunt, quae additis iis, quae de Deliaco exposuimus proelio, certam praebeant imaginem. Qua de re titulus a Wilamowitzio editus (Herm. 8, p. 432, sq.) nos docebit, e qua illam partem, quae ad rem faciat aliquid, denuo libet afferre:

Μίκκου ἄρχοντος ἀνταπολογία ἱππάρχου Πομπίδου

. . . .

Αλωμα·

Κλέωνι Πολυξένου . .	*ἀργυρίου συμμαχικοῦ*	280
Αἰσχρίωνι	*ἀργ. συμμ.*	210
Ἑρμαίῳ Χαρικλέους . .	*ἀργ. συμμ.*	140
Ὑπατοδώρῳ Ἀγασίωνος	*ἀργ. συμμ.*	175
Φιλλέᾳ	*ἀργ. συμμ.*	280
Φρυνίσκῳ	*ἀργ. συμμ.*	280
Μνησιθέῳ	*ἀργ. συμμ.*	245

. . . .

Pompidam Thebanum universi foederis non Thebanorum equitatui praefuisse Wilamowitzius perspexit, quia singula ducum stipendia militibus solvenda rationem certam habeant hanc: 8 : 7 : 6 : 5 : 4; ergo singulae partes non continent aequm numerum equitum, immo equites quotcunque urbes miserant, suis ducibus bellabant. Omnibus ducibus praeest Pompidas, itaque foederis hipparchus fuisse censendus est. Scimus autem, boeotarchis non archontem praefuisse prioribus temporibus, sed boeotarcham ex ipsis eligendum; itaque Pompidas quoque ab hipparchis electus fuisse censendus est, cum causa, cur hic magistratus aeque ac munus archontum commutetur, nulla exstet. Quodsi denuo octo urbium adesse duces videmus, etiam nostro iure concludere possunus, ut hipparchos equitibus singularum urbium ita boeotarchas copiis patriae urbis praefuisse. Contra, dum pax erat, rebus urbanis non intererant, neque tituli C. I. G. 1616 ubi *M. Οὔλπιος Νεικίας* boeotarcha aut Dech. rec. 16 ubi Curius Dexippus Chaero-

nensis comparet, contra pugnant, cum non iam tempori foederis liberi sint tribuendi. Tit. Rang 1311 (Preuss. p. 16) non iam potest cum aliqua specie veri suppleri.

C. Minores Magistratus.

Munus scribae boeotarcharum non fuisse parvae auctoritatis, immo vero boeotarchae appropinquare supra docuimus. Summum tamen locum, ut in foederibus Aetolorum aut Achaeorum (cf. Polyb. 2, 43, 1; 22, 5, 10, Liv. 38, 10, 7, inscr. Ach., Megar, al.) ne tempore quidem post foedus a Romanis solutum tenuit. Epistula enim[54]) a communi Boeotorum civitati Acraephiensium missa, cui praescribitur — *τὸ κοινὸν Βοιωτῶν καὶ ὁ γραμματεὺς τοῦ συνεδρίου Ζώπυρος Ἀγαμήστορος Ἀκρηφιέων ἄρχουσι χαίρειν* — tantum scribae negotium epistulam scribendi mandatum fuisse testimonio est.

Hipparchum foederis praeter Pompidam novimus Neonem, quem foederis magistratum fuisse docent Polybii haec (20, 5): *Νέων ἱππαρχῶν τότε καὶ πάντας τοὺς Βοιωτῶν ἱππεῖς μεθ' αὑτοῦ περιαγόμενος χάριν τοῦ παραφυλάττειν τὴν χώραν, ἐπεγένετο* . . . cf. quae de Pompida exposui. Theorus (*μαντευόμενος*) qui saepius memoratur (C. I. G. 1593 Keil S. X p. 69 al.) et..

θεοπρόπος foederis magistratus fuerunt, id quod tituli Philocomo et Eumelo archontibus confecti docent, in quibus praeter boeotarchas theorus quidam Thespiensis recurrit, quamquam Acraephiae donum ponitur. Cf. etiam Bull. I, 211, 3, ubi inter foederis magistratus memoratur.

---

[54]) Keil. S. XXXI.

Num eorum quoque munus annuum fuerit, potest dubitari, cum in duobus titulis (v. s.) idem recurrat Onymastus theorus. alia desint indicia.

II. De singulis Boeotorum civitatibus.

Singulae Boeotorum civitates ita fuerunt temperatae, ut et a senatu et a populo gubernarentur. Summum autem locum in illis quoque ut in universo foedere tenuit *ἄρχων*, de quo quamvis perpauca constent, tamen primo loco dicendum est.

Unum tantum fuisse archontem foederis liberi aetate propterea habeo persuasum, quod illius temporis tituli omnes incipiant *τοῦ δεῖνα ἄρχοντος*, illi autem tituli, quibus alia praescripta est formula, posterioris sunt aetatis cf. Keil. S. XXXI v. 109 *τοῖς τε ἄρχουσι καὶ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ*. C. I. G. 1625, v. 41. *ἄρχοντας καὶ συνέδρους*.[55]) Fortasse qui in illis titulis silentio praetermittuntur, polemarchi sunt intellegendi. Sed utut haec res se habet, hoc certe concedendum est, inter annos 316/146 unum in singulis urbibus exstitisse archontem. — Annuum fuisse archontem supra vidimus. — Archon ille urbanus fuit *ἐπώνυμος* annique secundum eum designantur, quamobrem nomen eius titulis urbanis praescriptum fuit.[56]) — Quae singula fuerint officia archontum, non iam est satis dilucidum, quamvis ipsius rei natura, quoniam polemarchorum maior fuit in civitatibus potestas, maior honor archontibus, haud ita gravia ea fuisse doceat. Ipsa enim singu-

---

[55]) Tit. Rang. 598. (Keil z. S. 579) ubi vox *ἀρχόντων* exstat, nimis est mutilatus.

[56]) V. tit. LB. 411: *τὸν ἐπώνυμον ἄρχοντα* Plut. de gen. Socr. 30.

larum urbium potestas magnopere coërceri necesse fuit, cum foedus iniretur Boeoticum, ita quidem, ut singularum urbium milites magistratibus communibus subderentur; quam civitatum imminutionem imprimis in polemarchorum munere contemplando cognoscemus.

Rebus gravioris momenti cum polemarchos praefuisse constet, archontes praecipue res sacras administrasse censendum est, quocum consentit quod in titulis agonisticis illi inter ludorum magistratus commemorantur. In tit, C. I. G. 1585. 86, qui catalogos eorum, qui in Musaeis vicerunt, continent, priorem locum *ἀγωνοθετοῦντες*, alterum *ἄρχοντες* tenent atque in duobus titulis Orchomeniis C. J. G. 1579. 80 nomina choregorum, qui ludis Bacchicis vicerunt, archontum nominibus praescribuntur.

Restat iam, cum singularum urbium archontes omnes enumerare nims sit longum, ut de tribus archontibus disseramus aliquid, quorum tempus accuratius potest circumscribi, de Nicia, archonte Tanagraeorum, de Aristodemo, archonte Orchomeniorum (eiusdem aetatis est Euxithius Tanagr.), de Thynarcho eiusdem urbis archonte[57]).

Ac tilulum quidem Niciae, quo proxenia Tanagraeorum donantur *Φιλοκράτης Ζωΐλω, Θηραμένης Δαματρίω, Ἀπολλοφάνης Ἀπολλοδότω* Antiochii, ad eam refero legationem, quam Antiochum ad Boeotos misisse Polybius XX. 2 narrat aperte: *Ἀντιόχου πρεσβεύσαντος πρὸς Βοιωτοὺς οἱ Βοιωτοὶ ἀπεκρίθησαν τοῖς πρεσβευταῖς διότι παραγενομένου τοῦ βασιλέως πρὸς αὐτοὺς, τότε βουλεύσονται περὶ τῶν*

---

[57]) *Ἀθήν.* IV. p. 210, 3 LB. 631 (K. s. 1,1). Herm. XI p. 98 d. C. I. G. 1569 a. (Syll. p. 33.)

παρακαλουμένων. Legationem autem esse intellegendam, et numerus trium proxenorum patriaeque indicat, et nomen Apollophanis, quem amicissimum fuisse Antiochi regis medicum e Polyb. 5, 56. 58 certiores fimus. Itaque Niciae, archontis Tanagraei annus fuit ca. 192 a. Chr. — *Ἀριστόδημος Μνασιγενείω* nisi fallor archon fuit ca. annum 210. Proxenus enim eo archonte fit Orchomeniorum Sosibius Dioscuridae filius, Alexandrinus, quem eundem Tanagraeorum factum esse hospitem videmus archonte Euxithio. Sosibium autem eum esse intelligendum, quem Polybius saepissime memorat Ptolemaei fuisse amicum quique idem in inscriptione Cnidia[58]) invenitur, editores perspexerunt. Dialecti quoque ratio ad eos annos nos ducit. (semper *ου* pro *υ* usurpatur, *υ* pro *οι* in tit. Orch. plerumque scribitur, in tit. Tanagraeo, quo serius aliquid nova penetravit orthographia, *οι* semper scribitur.) De Thynarcho pauca propterea monenda sunt, quod Preussius[59]) titulum eius secundum Boeckhium (C. I. G. p. 743 a) saeculo quinto tribuit. Non enim potest dubium esse, quicunque aliquam habet dialecti notitiam, titulum esse plus duobus saeculis recentiorem. Certe inter annos 200/146 ponendus est.

Haec habuimus, quae de archontibus dicamus; iam de senatus contionisque officiis disserendum est, qui summas civitatum administrabant res.

---

[58]) cf. Newton, Cnidos and Halicarnass p. 95. *Σωσίβιον Διοσκουρίδου Ἀλεξανδρέα Ἀγαθόβουλος Νέωνος Ἀλεξανδρεὺς θεοῖς. — Ζενόδοτος καὶ Μένιππος Χῖοι ἐποίησαν.* Cf. Polyb. V, 33 qq. Plut. Cleom. 33.

[59]) Quaest. Boeot. p. 13: „fortasse belli Peloponnesiaci aetati assignandus."

Qui homines senatui, quem in omnibus fere urbibus fuisse titulis probatur, interfuerint, non iam licet distinguere; delectos autem solum interfuisse ei, et rei natura et ceterarum civitatum analogia manifestum fit;[60]) contionis certe omnis civis, quicunque erat sui iuris, partem potuit capere. Ac de rebus minoribus ad senatum rettulisse magistratus putandum est,[61]) cum de maioribus consulta illa faceret, quae ad multitudinem ferrentur. Concilia maiora quoties habita sint, quamquam non est certum, tamen non semel vel bis quotannis sed unoquoque mensi populum convenisse inde sumo, quod contionem Tanagraeam diversis mensibus habitam esse videmus ex titulis his: Herm. XI p. 98a. **Ξεναρίσω** *ἄρχοντος μεινὸς Ἀλαλκομενίω* ibid cf. *Ἀθήν.* IV p. 210, 3; bull. III, p. 383, 29 Herm. l. l. **Εἰρίαο** *ἄρχοντος μεινὸς Δαματρίω νιομεινίη* ibid. **Εὐξιθίω** *ἄρχοντος μεινὸς Δαματρίω Ἀθήν.* III p. 475 . . . . *ρω ἄρχοντος μεινὸς Ἱπποδρομίω προτριακάδι Ἀθήν.* IV. p. 210, 2 *Ἀριστοκλίδαο ἄρχοντος μεινὸς Θουΐω νευμεινίη, κατὰ δὲ τὸν θεὸν Ὁμολωΐω ἐσκηδεκάτη*). Res tantum urbanas eae contiones necessario curaverunt, itaque de recipiendis civibus, de legibus ferendis atque abrogandis, de controversiis dirimendis statuerunt (cf. e. g. Lb.-Fouc. II, 1 tit. Aegosth.) aeque ac foederis contiones, nisi quod illae etiam de bello paceque decreverunt.

---

60) Licet fortasse conicere, senatum ex iis compositum fuisse, qui polemarchi fuerant. Obsides enim pecuniae publicae (in Act. Nicar.) omnes fere polemarchorum munere functos esse vidimus et facile potuit fieri, ut in hac re senatus sponsione se obstringeret pro urbe.

61) Ceteris in civitatibus hoc semper licebat, ut senatus res minores e suo arbitrio diiudicaret. cf. de Athenis. Hartel, Studien über att. Staatsrecht und Urkundenwesen p. 60 (Vindob. 1878.)

Sed quaestio iam tractanda erit difficillima, quae necessitas inter contionem intercesserit et senatum, quam rem ad illustrandam necesse erit rationem habeamus rei publicae Atheniensium, cuius Boeoticum illud institutum aliquam habere similitudinem primo titulorum conspectu animo obicitur. Tamen cum de ipsa contione Atheniensium viri docti iam disceptent, tantum titulos Boeoticos licet contemplari indeque fortasse ad sententiam alterius utrius comprobandam aliquid confertur. Longum est hoc loco eam rem perscrutari.

Initiis decretorum publicorum variae inveniuntur formulae, de quibus singillatim dicendum est. Saepius formulam videmus adhiberi: *ὁ δεῖνα ἔλεξε προβεβουλευμένον εἶμεν αὐτῦ ποττὸν δᾶμον* vel *προβεβουλευμένον εἶμεν αὐτοῖ* (cf. Keil z. S. p. 536, tit. Aegosth. Lb. 1), quae formula cum in proxeniae decretis modo adhibeatur, modo non exstet, pro certo possumus affirmare, inter Boeotos necesse fuisse, ut *προβούλευμα* faceret senatus, priusquam populus decerneret; ii igitur, qui hauc formulam non continent, *προβούλευμα* ante factum omittunt. Auctoritas deinde a senatu perscripta ad populum ferebatur populusque de lege illa decernebat. Quae res simpliciter exprimebatur his: *ἔδοξε τοῖ δάμοι, δεδόχθη τοῖ δάμοι, ἔδοξε τῇ πόλι* (*Λεβαδειήων* C. I. G. 1571). Lex autem ad senatum populumque ferenda incipitur formula *δεδόχθη τῦς συνέδρυς κὴ τῦ δάμυ* (Bull. II, 508, 15 al). Attamen hanc rationem deliberandi non semper esse adhibitam formula in tit. Oropio (C. I. G. 1570.a) servata docet, quae difficultatem praebet haud

exiguam. Illic enim cum a verbis *ὑπὲρ ἱερῶν πρβεβουλευμένον αὐτῷ εἶναι πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον* pendeant haec: *δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, ὡς ἂν κυρωθῇ τὸ ψήφισμα, ἑλέσθαι τρεῖς ἄνδρας*, ipsum illud de quo erat *προβεβουλευμένον* esse hoc *τὸ δεδόχθαι ἑλέσδαι τρεῖς ἄνδρας* Boeckhius vult. verba autem *ὡς ἂν κυρωθῇ τὸ ψήφισμα* cum doceant iam decretum in illa *προβουλεύσει* factum esse, nihil aliud relinqui summus vir contendit, nisi hoc, in praegressa *προβουλεύσει* fuisse iam ea decreta, quae nunc vellet decerni Pirges. Itaque cum *προβούλευσις* instituta sit *πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον*, Pirges autem populum velit decernere quae iam in illa *προβουλεύσει* decrevisset, rem non certe posse expediri aliter nisi ita: Non rata fuisse in communibus Boetorum comitiis decreta nisi bis proposita ita, ut primum decerneretur de utraque re *προβούλευμα*, deinde vero in proximis comitiis !rem iterum proponi et tum demum rata esse, si in iteratis comitiis esset decreta. — Mihi longe diversa ratione res videtur declaranda; facere enim non possum, quin ea, quae Gilbertus contra Hartelium monuit, de nostro quoque foedere statuam: Res, de qua agitur, cum sit sacra, aeque atque Athenis *προχειροτονία* inter Boeotos exstitit, ita ut senatus *προβούλευμα* faceret rogareturque populus, consultandumne videretur de hac re an non. Quod si placuerat, causa statim disceptatione versabatur. Ac certe hoc manifestum fit tituli initio; nam cum Pirges dicat: *ὑπὲρ ἱερῶν προβεβουλευμένον αὐτῷ εἶναι πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον*, ea autem verba, quae sequuntur causas, tantum contineant, quibus commotus de sacris tulerit legem, non de lege ipsa *προβεβουλευμένον*

esse apparet, sed tantum actum esse, num de sacris legem ferre liceret.[62])

Sed asserendum est aliud προβούλευμα, quod magnam praebeat difficultatem: (ed Cumanudes Ἀθήν. IV. p. 292; Preuss. quaest. Boeot. p. 11):

3. Ἀθανογίτονος ἄρχοντος προξενίη· βωλά·
Προστατη[ρίω μεινὸς . . . .

4. *Σωσικράτης, Μνάσων Εὐμήλω* ἔλεξε·
προβεβωλε[ῦσθαι

5. *Θιοκλῆν Ἄγωνος Ἐλατέα αὐτὸν κὴ ἐσγόνως* . . .

6. κὴ πολέμω κὴ εἰράνας ἰώσας κὴ κατὰ γᾶν κ[ὴ . . .

7. εὐεργέτης τᾶς πόλιος γέγραπτη·

Contineri titulo proxeniae decretum nemo non videt; offendit in eo quam maxime vox βωλά. Nam cum ex elementis προβεβωλε quidquid supplebitur, appareat, legem iam semel propositam nunc ratam fieri, decretum senatus in his non posse inesse Preussius ostendit. Itaque cum res sit obscura, sufficiat commemorare, titulum non esse aetatis foederis liberi, cum complures formae in eo exstent dialecti hellenisticae: *Προστατηρίω, Σωσικράτης, Εὐμήλω, εἰράνας* (Cf. Meist. Ann. Bezz. V. p. 237).

Ius rogationis ferendae sententiaeque dicendae potestas unicuique civi certae alicuius aetatis fuisse certum est, siquidem integro esset iure, cum ante Epaminondam certum tantum numerum civium ditiorum contionibus interfuisse supra coniecerim. De rebus tamen urbanis, si in conciliis publicis agebantur, magistratus singulos

---

[62]) Eandem fuisse rationem inter Athenienses Gilbertus contra Hartelium disputavit in Ann. phil. 1879 p. 225 sq. 1880 p. 529 sq. Hoekius ibi p. 801 sq.

leges tulisse e Nicaretae tit. docemur, ubi polemarchos de pecunia publica agere videmus. Leges autem omnes, quae promulgabantur, litteris consignari debuisse et Livius manifestum reddit (33,2) cum scribat de concilio Boeotorum: ‚rogatio lata recitataque a Dicaearcho', et decretis Lebadeensium et Oropiorun confirmatur. In altero enim (*Ἀθήν*. IV. p. 376) exstant haec: *Ἀθανίας Δημαινέτου εἶπε πρός τε τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον τὸ ψήφισμα, ὃ γράφει*, in altero (C. I. G. 1570 b): *κατὰ τὸ ψήφισμα, ὃ ἔγραψε Πίργης*. — Quis praefuerit contionibus, non iam potest perspici; in tit. Nicar. polemarchus primum locum tenet, inde autem de omnibus contionibus non potest concludi. Ius sententiae dicendae etiam legatis fuit, quoniam Attalus, Aristaenus, Quinctius Flamininus in contione Boeotorum secundum Livii locum supra laudatum verba faciunt, quod ius etiam in urbanis conciliis valuisse non est veri dissimile.

Ac de contione hactenus; sequitur ut dicamus de polemarchis, quos longe plurimis negotiis praefuisse titulorum numerus docet. Ea autem, quae Boeckhius de hoc magistratu disseruit (C. I. G. p. 730) novis titulis novisque argumentis allatis Foucartus (bull. IV. p. 85 al.) ita confirmavit et locupletavit, ut pauca tantum, quae addere possim, me habere libenter fatear.

Polemarchos tres, non sex, id quod voluerat Boeckhius in singulis urbibus fuisse diu intellectum est. Cui tamen sententiae obstare videtur tit. C. I. G. 1574;

Θιὸς. Μελανιίχω ἄρχοντος·
τοὶ ἀπεγράψαντο ἐν ὁπλίτας
πολεμαρχιόντων

Fαναξίωνος Σαώνδαο
Φαλλίνω Τιμανδρίδαο
λοχαγίοντος Fάδωνος Πολυκριτίω
γραμματίδδοντος
Καφισοδώρω Σαμιωνίω κ. τ. λ.

Etiamsi omittimus, quod apographum habemus valde mutilatum atque incertum, tamen id, quod duo polemarchi praeter lochagum memorantur, facile inde potest declarari, quod in tertii polemarchi locum, sive ipse fuit negotiis sive morbo impeditus, lochagus successit: quae sententia inde quoque comprobatur, quod lochagum a negotio dilectus habendi alienum fuisse omnibus firmatur titulis Creabantur polemarchi in contione contionique rationem reddere debebant, unde simul accusari eos potuisse sequitur, si res ab iis gestae populo displicerent, et praemiis affici, si laude viderentur digni. Populi quoque iussa debebant exsequi, velut in tit. K. S. XXXIII, 76: *δεδόγμενον εἶναι τοῖς τε συνέδροις καὶ τῷ δήμῳ τοὺς πολεμάρχους τοὺς ἐπὶ Καφι-(σοδώρου) ἄρχοντος [ἐπαινέσαι τοὺς] προειρη[μένους ἄνδρας].* Simile exemplum exstat in tit. Nicar. 2. 129: *δεδόχϑη τῦ δάμυ τὼς πολεμάρχως, ἐπί κα τὸ ψάφισμα κύριον γένειτη, ἀγγράψη ἐν στάλαν λιϑίναν τό τε ψάφισμα οὖτο κ. τ. λ.*[63]).

De singulis polemarchorum officiis haec possumus constituere: Summi disciplinae publicae ministri fuerunt; nam e Xen. Hell V, 2, 3 ius eis cives in vincula iaciendi fuisse constat; hoc de posteriore aetate inde efficitur, quod saepius officium eorum libertos tuendi memoratur

---

[63]) cf. etiam Preuss. l. l. p. 24. In communi Boeotorum idem mandatur Boeotarchis: *τοὺς δὲ Βοιωτάρχας . . . ἀναγράψαι τὴν συμμαχίαν εἰς στήλην* (Mitth. III, p. 20 v. 20.)

(Bull. IV, 91 al.) Munus autem illud fuisse antiquissimum, inde potest colligi, quod secundum Nicolaum Damascenum (fr. 59) Bacchiadarum aetate Corinthiaci polemarchi munus illud tenuerunt, idque munus Philolai legibus ad Boeotos latum esse verisimile sit.

Quibus muneribus militaribus usi sint polemarchi, si quaerimus, non omni aetate aequa ea fuisse videmus. Nam cum pristinis temporibus summum iis fuisse urbanarum copiarum imperium et nomen edoceat et oligarchorum historia, inter quos summi viri polemarchorum munere erant praediti, post Thebas restitutas, cum singularum urbium copiae copiis foederis essent additae, tantum administrabant ea, quae ad iuvenes militiae aptos statuendos et conscribendos necesse essent. Cuius muneris cum innumera exstent documenta, non opus erit singula afferre; tamen operis pretium esse videtur, formulas, quae in hac re adhibebantur, enumerare. Invenimus

Thebis: *ἀπεληλυθό(ν?) τες ἐς τῶν ἐφήβων ἐν τάγμα* (Lb 492; Keil z. S. p. 541).

Orchomeni: *τοὶ πρᾶτον ἐστροτευάθη* (Keil. ibid p. 562 al.)

Lebadeae: *ϝικατιϝέτιες ἀπεγράψαντο* (ibid 551).

Thespiis in catal. *τῶν ἁβώντων: τοὶ ἐς νεωτέρων ἐν τὼς ὁπλίτας κὴ ἐν τὼς ἱππότας* (Bull. III p. 482 sq.) vel *ἀπεληλυθότες ἐκ τῶν ἐφήβων ἐς τάγμα* (LB. 691).

Acraephia: *τυὶ ἀπεγράψανθο ἐφέ(?)βων ἐμ πελτοφόρας* (bull. II, 507).

Copis: *τυὶ ἀπεγράψαντο ἐν ὁπλίτας* et *τυὶ ἀπεγράψαντο ἐμ πελτοφόρας* (Keil s. p. 42; z. S. 556 al.)

Hyetti: *τοὶ ἀπεγράψαντο ἐμ πελτοφόρας* (*Ἀθήν*, I p. 440 al.)

Chorsiis: *ἐσσέγραιψεν ἐμ πελτοφόρας* (*Ἀθήν.* IV p. 215 B.).

Megaris: *τοίδε ἀπῆλθον ἐξ ἐφήβων εἰς τὰ τάγματα* (LB. Fouc. 3—6, 8 sq.)

Aegosthenis: *τοίδε ἐξ ἐφήβων* (ibid).

De aerario administrando et de solvendis pecuniis haec statuere licet: Omnibus negotiis pecuniariis urbis suae sunt immixti, quin etiam pecuniam solvendam curant ita, ut ipsorum re familiari se obstringant (cf. tit. Nicar. et Keil syll. p. 13). Rationem eos expensi debuisse reddere haec verba tit. Nicar. docent: v. 129) *δεδόχθη τῦ δάμυ τὼς πολεμάρχως . . . ἀγγράψη . . τό τε ψάφισμα οὗτο . . . κὴ τὸ ἅλωμα ἀπολογίτταστη ποτὶ κατόπτας* (d. quibus v. i.). In omnibus autem rebus ex collegii sententia eos pronuntiasse semperque communiter egisse titulorum copia firmatur.

Additus fuit polemarchis S c r i b a, qui aut simpliciter *γραμματίδδων* aut accuratius *γραμματίδδων τῦς πολεμάρχυς* appellatur. Non ignobilem fuisse hunc magistratum, inde pro certo statuo, quod saepius idem, quem scribam cognovimus, polemarchi postea munere fungitur aut patrem polemarchum, filium scribam invenimus. Loci hi sunt (cf. Preuss. p. 17 tituli editi sunt *Ἀθήν*· I p. 490 sq. et Bull. II, 497 sq.). *Δαμοχαρίδας Πολιουχάριος* scriba est *Ἀθήν.* 1 polemarchus ibid 5 *Προππίδας Δαμοξένω* Bull. 1 filius fuit *Δαμοξένω Προππίδαο* ibid 4. *Διωνιουσόδωρος Ϝαναξάνδρω* scriba (*Ἀθήν*· 3) inter polemarchos numeratur ibid 4. Praeterea eadem scribarum nomina in pole-

marchorum numero comparent haec: *Εὔμειλος Δάσωνος* scriba *Ἀθήν.* 7 polemarchus Bull. 4 et 8 *Πολιουκλεῖς Μνασίνω* scriba *Ἀθήν.* 9 polemarchus ibid. 1 et 8 *Πουθογένης Δαμονίκω* scriba bull. 9 polemarchus ibid 6 et *Ἀθήν.* 8.

Rationem reddidisse polemarchos videmus C a t o p t i s. Quorum munus quale fuerit postquam exposuit Boeckhius pauca tantum possunt addi. Docet ille: Peculiares Boeotis magistratus sunt *κατόπται* . . . nam catoptas in rebus potissimum pecuniariis adesse magistratibus eosque observare, ne quid inique agatur, ut in auro et argento tradendo, in locatione operum, in debitis solvendis; simul soli accipiunt rationes. V. quae Boeckhius de hoc magistratu disp.

Praeter illos rebus pecuniariis consulunt

Ταμίαι, qui certe inferiorem in rebus publicis locum tenebant. Dispensatores erant pecuniae publicae, ita quidem, ut quanta cuique vel magistratui vel publicorum operum curatori ex aerario assignata esset, tantam distribuerent. Rationem reddiderunt catoptis. Documenta huius negotii, quale descripsi, habemus luculentissima: In tit. Megarico (Keil. S. IV.) legimus: *τὸ δὲ γενόμενον ἅλωμα δότω ὁ ταμίας* et C. I. G. 1510 a: *ὁ ταμίας ὁ προάρχων προσθέτω τὸ ἐλλεῖπον καὶ ἀπολογισάσθω πρὸς κατόπτας.* Tres fuisse tamias Boeckhius e titulo Orchomenio sagacissime inde coniecit, quod eodem anno diversi tamiae expensum publicum faciunt probatamque eius sententiam invenimus titulo Nicar. Summus inter eos *ταμίας*, cui pecuniae administratae rationem reddendam fuisse censeo, fuit *ὁ ταμίας ὁ προάρχων*, qui certe *τὸ προ-*

ταμιεῖον (Xen. Hell. 5, 4, 6) administrabat, cum ceteri ceteris praeessent arcis, quae aut *τὰ πολιτικά* aut *τὰ τῆς πόλιος ποθοδώματα* (tit. Nicar. 140. 161.) appellabantur.

Praeter hos magistratus etiam *συνήγοροι, σύνδικοι, ἀγορἀνομοι* memorantur, de quorum tamen muneribus non iam satis constat, quam ut de iis coniecturas facere liceat.

Logistam autem, quem in tit. Chaeron. offendimus (Dech. rec. 16), non pro magistratu huius civitatis, sed pro curatore, quem dicunt, Romano esse habendum Henzenus (ann. dell.' inst. 1866 p. 149) demonstravit.

Ilarchi praeterea equitum, lochagi peditum duces inveniuntur. (C. J. G. 1588. 1576. 1574 Lb. 599), quin etiam Nauarchi alicuius, certe non Lebadeensis, mentio fit in titulo Lebadeensi. (Rang 1313).

Vita.

Natus sum Paulus Liman Schneidemuehlis anno 1860 die VIII. mensis Februarii patre Guilelmo, tum causarum actore, matre Sophia e gente de Schachtmeyer, quam anno 1872 praematura morte mihi ereptam esse semper lugebo. Successit in locum eius Florentina e gente Roestel. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis Margonini. Coronae Polonorum imbutus, inde ab anno 1870 usque ad autumnum anni 1877 gymnasium frequentavi Cottbusiense. Instructus maturitatis testimonio ut philologiae operam darem, primum Halas migravi, deinde Berolinum me contuli, unde stipendio facto anni 1880 vere ad almam Pommeraniae litterarum sedem profectus sum. Docuerunt me Keil, Dittenberger Halenses; Huebner, Kirchhoff, Vahlen. Droysen, Harms, Zeller Berolinenses; Kiessling, Preuner, Susemihl, de Wilamowitz-Moellendorff Gryphiswaldenses. Kiesslingii et Wilamowitzii benignitate contigit mihi, ut seminarii regii philologici postquam per sex menses fueràm sodalis extraordinarius, per bis sex menses sodalis essem ordinarius. Quibus omnibus viris optime de meritis gratiam semper habebo quam maximam.

Sententiae Controversae.

1) Diod. 20, 110 Verba: *Δῖον δὲ καὶ Ὀρχομενὸν μετοικίζοντος εἰς Θήβας Κασσάνδρου διεκώλυσε μετοικισθῆναι τὰς πόλεις* corrupta sunt. Legendum est pro *Ὀρχομενόν*: *Ὀρμένιον*.

2) Schol. Eur. Hippol. *v.* 954 pro *τιμῶν οἰκίας τὰς ὑπό τῶν φορολόγων εἰσγεγραμμένας* corrigendum sic videtur: *τιμῶν σκιὰς τὰς ὑπὸ τῶν λογεμπόρων εἰσγεγραμμένας*.

3) Catulli versus 64,139.140 quos Baehrens sic edidit:

At non haec quondam blanda promissa dedisti
Voce mihi; non haec miseram sperare iubebas

sic emendo:

At non haec quondam miserae promissa dedisti
Voce mihi; non haec nobis sperare iubebas.

4) Vocalium mutationes quae obtinuerunt apud Boeotos tantum fuerunt graphicae, non voce expressae.

5) Nonii Marcelli, cum in excerpendis Plauti fabulis fonte nostris codicibus praeferendo usus sit, in recensendis Plauti comoediis summam adhiberi rationem necesse videtur.

6) Plaut. Persa, III, 1, 19 legas

Nam ubi ad paupertatem accessere infamiae,
Paupertas gravior fit, fides sublestior.

7) Thebis inde a pugna Plataïca usque ad pugnam apud Oenophyta commissam democratia exstitit (cf. quae contra scripsit Maur. Mueller, hist Theb. Lips 1878).